CHRIST. ANDR. CHRISTEN

DE

OPIO.

OPIUM

HISTORICE, CHEMICE

ATQUE

PHARMACOLOGICE

INVESTIGATUM

PER

CHRISTOPHORUM ANDR. CHRISTEN,

MEDICINAE DOCTOREM, LIBERAE REGIAE AC METROPOLITANAE URBIS BUDENSIS PHYSICUM, ITEM INCLYTAE FACULTATIS MEDICAE PESTINENSIS COMMEMBRUM.

VINDOBONAE.

Apud Fridericum Volke.

1820.

CELSISSIMO AC REVERENDISSIMO

DOMINO

ALEXANDRO RUDNAY

DE EADEM ET DIVÉK ÚJFALU,

PRINCIPI, ECCLESIAE METROPOL. STRIGONIENSIS ARCHIEPISCOPO, SACRAE SEDIS APOSTOLICAE LEGATO NATO, INCLYTI REGNI HUNGARIAE PRIMATI, SUMMO ET SECRETARIO CANCELLARIO, I. ORDINIS S. STEPHANI REG. APOST. PRAELATO ET MAGNAE CRUCIS EQUITI, I. COMITATUS STRIGONIENSIS SUPREMO ET PERPETUO COMITI, S. C. ET R. A. MAJESTATIS AD EXCELSUM CONSILIUM R. L. H. CONSILIARIO, AC AD EXCELSAM TABULAM SEPTEMVIRALEM COJUDICI NOMINATO, DOMINO BENIGNISSIMO.

ANTISTITI. SVPREMO.
DOCTRINA. VITAEQVE. TENORE.
NVLLA. LABE. ADSPERSAE.
POPVLO. CHRISTIANO.
SIBI. CREDITO.
LVMEN. PRAEFERENTI.

QVI.
GENVS. ET. MAJORVM. IMAGINES.
AD. GLORIAM. NON. SATIS. ESSE.
AESTVMANS.
VIRTVTIS. SPLENDOREM.
EX. SE. PETERE. MALVIT.
INGENIO. INDVSTRIA. LABORE. INDEFESSO.

RERVM. GERENDARVM. SAGACITATE.
IN. PAVCIS. EMICANS.
AMPLIORA. PAVLATIM. MVNERA.
INDEPTVS.
AB. AVG. REGE. HVNGARIAE.
FRANCISCO. I.
IN. EXCELSVM.
ANTISTITIS. I. REGNI. HVNGARIAE.
FASTIGIVM.
EVECTVS.

PASTORI. SACRI. GREGIS. VIGILANTISSIMO.
PIO. MANSVETO. LIBERALI.
AD. LEVANDVM. PAVPERTATIS. ONVS.
NVNQVAM. DIFFICILI.

CVLTVM. BONI. PVLCHRIQVE.
IN. PATRIA. PROVEHENDI.
STVDIOSISSIMO.

DOCTORVM. VIRORVM.
CVLTORI. FAVTORI. MAECENATI.
TENVES. HOS. CONATVS.
ANIMO. DEVOTO.
DICAT.

AVCTOR.

PRAEFATIO.

Magnos illos profectus, quos aetate nostra scientiae cunctae, cumprimis ea naturae, systematicam illius unitatem agnoscere nitens, fecit: Pharmacologiae quoque nimium prospexisse, vel ex unica in objectum hujus singulare — Opium — directa attentione intelligitur. Mirabilem enim hujus naturam internam investigationes chemicae curatius institutae, etsi penitus non intelligere, eam tamen multum illustrare fecere, et dehinc usum quoque medicum adaequate rationalem indulsere.

Ast momentosa illa et pulchra, objectum medicinae dignissimum concernentia, tam late per Auctores dispersa exstare scivimus; ut eorum maxime essentialia, in commodum scientiae et artis, compendio tradere, nefas non esse omnino persuasi fuerimus. — Nos muneri tali accingendo, naturalem Opii historiam cum chemica illius ratione uni et priori committere voluimus capiti, aliud et posterius pharmacologicis atque therapeuticis simul destinando caput. — An vero conatus hi exiles praefixo respondeant scopo, benevolum legentis dijudicet arbitrium.

VINDOBONAE

Mense Martio 1820.

CONSPECTUS ARGUMENTORUM.

I. HISTORIA NATURALIS.

ERRORES.

Pag.	*Linea*	*loco*	*lege:*
4	26	copticoni	coptico ni.
8	7	Seudamore	Scudamore.
9	19	Wolf	Wolff.
9	26	Swediauer	Swediaur.
17	ultima	plan-	plantae di-.
19	9	aitera	altera.
19	28	preastans	praestans.
36	7	unicias	uncias.
47	10	mammarum?	mammarum (?)
48	12	raspirationem	respirationem.
52	29	repetitio	repetito.
53	7 et alibi	phoenomenon	phaenomenon.
88	12	Mohnhaft	Mohnsaft.
93	12	granorum decem.	Nro. decem.
94	4	Indiae utriusque	Indiae utriusque medici.
106	4 et 9	Ischiatidem	Ischiadem.
114	7	aëcrearum	aërearum.
184	19	CIII.	VIII.
186	24	Wahsinn	Wahnsinn.
191	11	fiitrataeque	filtrataeque.
197	20	Porma	Forma.
206	9	dachma	drachma.
207	18	Dyarrhoea	Diarrhoea.
256	13	Reidigantur	Redigantur.
268	11	Apothbuch	(Apothbuch.

I.

Historia naturalis Opii.

§. 1.

Opium est succus e capsulae papaverinae vulnere fluens, super eadem densatus. Nomen derivandum esse videtur ex Oriente, fonte alioquin plurimarum, quae ad hominem spectant, rerum et idearum: Affion enim (imo et Amfion) dictum vetustissimis Indis ac Arabibus, Bontio notante, imo et Aegyptiis, Alpinio teste, Afiuun Persis, Affiun Mauritanis. Opion vocavere Graeci, qui tamen Etymologiam sibi arrogantes ab opos seu succo derivarunt vocem: Ὄπιον ἀπὼ τȣ̃ ὀπȣ̃, adjicientes interdum μεκωνος, Papaveris succum, aut specialius ὀπὸς των κωδειων, capsulae succum; iidem viliorem speciem Meconion, quasi Papaverinum dixere, scilicet extractum. Caeterae nunc Gentes eodem salutarunt nomine:

Opium Romani, Lachryma Papaveris ut plurimum Celso dictum, Opium (et Opion) Galli, Angli, Germani, Sveci, Dani, Russique, Opio Itali, Originis memores Germani iterum Mohnsaft, Dani Valmuesaft. Barbara tandem irruptione in Scientias et Lingvas Paracelsi Opio Laudani nomen affixum est, de quo Libavii sensus (Syntagma 8. c. 44.) dignus est, qui audiatur: „barbaricae insolentiae vox est Laudanum, et paracelsicae convenientiae dementiae. Laudanum pro laudato aut laude digno nullus Latinus dixerit. Rectius Extractum Opii correctum". Conqueritur Renodeus Neotericorum Opiata propter laudabilitatem Laudana dicta, novas confectiones opiatas in usum vocari: „horum Pharmacorum nunc apud circulatores adeo invaluit encomium, ut nullus sit empiricus, nullus tam hebes medicaster, nullus vel plebeius tonsor, qui se Laudanistam non profitetur"! De vocis Etymo sic effatur Crollius in Basilica chymica: „laudabile illud medicamentum plane suo respondet nomini, si Laudanum dicas". At antiquiores hi Laudanum dixere non Opium nudum, verum praeparationes ejusdem: Laudanum simplex, aut Laudanum nominavere Extractum Opii aquosum, rarius spirituosum, Laudanum opiatum iis fuit compositum remedium, cujus actuosissimum ingrediens fuit Opium. Recentioribus temporibus accessere Laudana liquida, seu solutiones

Opii spirituosae, aut praestantiores aromatico-vinosae. Recentissime usu venit Laudani nomen adhibere loco Opii ipsius. — Pauci tandem Antiquiorum dixere Nepenthem, ab anodyna facultate.

§. 2.

Nepenthe, quasi Nepenthos seu non luctuosa, multorum, idem cum Opio esse, opinio est. Non me arguant viri aestumatissimi, qui opinionem sententia dicta decidere velit, quae libris integris ventilata necdum decisa existit: at sermonis saepe longi brevem esse sensum, ad Friderici Schiller sententiam, memores noverint factum historicum e datis historicis, nec sensis medicorum decidendum esse. Nepenthes (quod narrat Homerus in Odyssea IV. 220. v.) ab Helena hospitibus ad adventum Telemachi et nuptias filiae Lacedaemone immiscebatur Vino „cura et molestia liberans, et omnium malorum oblivionem inducens"; hoc esse Opium sensit antiquitus Theodorus Zwinger, recentissimus in historia Botanices Sprengel, aliique. At Opii virtus exhilarans posthumis clauditur effectibus ingratis, quorum divinus Homerus mentionem non facit, similemque adeo alia narcotica praestant eventum. Accedit, Homero propiores Graecos, Romanosque non novisse Nepenthem Helenae: quidam Buglossam Dioscoridis, quae ad Sprengelii l. c. l. p.

139 sensum est Anchusa paniculata L., autumarunt, quae vino injecta hilaritatem inducat (secundum Galenum) referente Plinio 25. c. 8., qui eadem, qua Nepenthem, ratione agere narrat herbam Helenium, alioquin ab Helena dictam, quaeque Linnaeo salutatur Inula Helenium l. 21. c. 21. cujus effatum concinnum ultimum sit, quo nominat „nobile Nepenthes, oblivionem tristitiae, veniamque afferens, et ab Helena utique omnibus mortalibus propinandum" l. 25. c. 2.

Alii Hyoscyamum credunt. Delille in flora aegyptiaca (extracta in Okenii Iside 1818. pag. 1518.) in Aegypto Hyoscyamum album narrat nominari Beng (non Berg, qui error est typi); Beng Hyoscyamus nominatur Serapioni juniori, de simplicibus c. 330., Bengi Arabibus esse Hyoscyamum semine nigro exponit Avicenna in Canonis Libro 2. tr. 2. c. 360, in cujus tamen libri indice (editionis Lugdunensis Anni 1522) additur Beng esse Hyoscyamum album. E recentioribus autor judiciorum literariorum plurium in ephemeridibus literariis Vindobonensibus asserit Nibendsch esse Hyoscyamum, praeposito articulo coptico ni; Hammer sagacissimus linguarum et rerum orientalium scrutator Nebendsch seu Haschisch affirmat unum idemque esse, cujus usum Menon gallis in Aegypto militantibus severe prohibuit (videas Breton Aegypte et Syrie), cum Haschich significet her-

bam, quasi Hyoscyamum dixeris herbam cum Antonomasia.

Pro Cannabi tamen sativa L. plurima stant data historica, esse Nepenthem, Asiae et Africae incolis celebratum. En iterum Indos! In Hindostania (India orientali) Bendsch = Nepenthe paratur e Cannabi, narrante James Torbes in Oriental memoir. select. 1813. IV. 4. Bengs, Bangs. Kaempfero sunt folia Cannabis sativae Linnaei, nostrae plantae simillima, quae Indis orientalibus masticantur, in fumum acta ore hauriuntur: nostratis Cannabis folia non esse stupefacientia addit idem Auctor, quae tamen si fumi forma hausisset, ejusdem indolis esse dixisset, ita, ut nec Cannabis „Animum mutet, si trans mare currat". Bang esse Cannabis sponte crescentis folia siccata, quorum fumus haustus magis stupefacit, ac Opium ipsum, exponitur in Lindner notitia Asiae (neueste Kunde von Asien II. p. 87). Folia Cannabis siccata et trita Indis in usum ducuntur pro infuso aquoso, cum syrupo mixta rediguntur in pastillos stupefacientes, gliscentia in fumum acta ore hauriuntur; imo et Cannabis Polline et Seminibus utuntur, eundem in finem narrante Zimmermann (Taschenbuch der Reisen XI. 1. pag. 140). Similia narrat in Cynosura Materiae medicae 1. p. 367 Hermann: Turcas suum Maslach seu Bangue parare e foliis cannabis minoris recentibus, tritis in

olla, in qua butyrum fuit asservatum, tostione et madefactione repetita, quo pro stupore inducendo utuntur, de quo plura in Wedelii Opiologia p. 168. videantur. Addit tamen Hermann in India orientali aliam esse herbam, ex qua fit Bangue, Althaeam nempe Gossypii folio, sapore acetosae, descriptam Burmanno in flora Zeylanica, quae est Hibiscus Sabdariffa L. plurimum similis Hibisco cannabino, Indis Bangue dicta secundum Burmann (Confer Garciam ab Horto l. 2. c. 25. p. 242.) Hujus Pulverem cum Butyro et Oryza mixtum Indos adhibere narrat. Turcas suum Maslach parare ex Opio, seminibus Lolii, Cannabis ac Daturae, nec non radice Mandragorae, ac Filicis maris in pulverem tritis, aut melle addito in electuarium redactis refert Lindenstolpe de Venenis p. 538, quod proelium inituri assummunt, impetu primum furioso, at tardius remissione subsequente. — Africae incolis fere plurimis in usu diaetetico est Cannabis sativa Linnaei, Haschisch dicta. Breton in descriptione Aegypti et Syriae narrat Cannabim Aegyptis salutari Haschisch, vel Haschidsch; eam in Aegypto coli, atque charaneq-el - hachyeh nominari Delille (l. c. 1537.) nec usum textilem notum esse! ergo alio scopo coli necessum est! Assis vocatur Alpinio, olim Aegypti hospiti. AethiopesCannabim generatim colunt, usum vero „ad laetificandum cor hominis"

subdoli negant: Haschisch tamen ex Africa ad Illustrissimum Maecenatem Banks missum est forma pulveris, ea data notitia: esse probabilius folia Cannabis sativae Linnaei contrita. Ejusdem effectus plures tentarunt medici, interque hos Domeyer, qui vires auctas, facultates intellectuales intensiores, somnum gratum, et appetitum, voracitatem fere, sensit. Contendunt omnes uno ore: intus assumtum Haschisch augere appetitum, addere animum, vires ad itinera, ad venerem, producere somnum pacatum, insomnia grata. Non ei obtigit ingrata Opii natura, epirrhoeam in caput producendi, alvum obstipandi. Quantitas pulveris summendi est drachma una. Coronidem addat Thunbergius referens: Hottentotis nec stupefactionem e Nicotiana sufficere, cui scopo pernicioris, et gratioris inebriationis addunt folia Cannabis bene scissa (Reisen I. 1. pag. 172. 2. pag. 165.). Adeo mortalibus necesse est atrae curae suppressio: Asia septemtrionalis id agit Agarico piperato, meridionalis Opio et Cannabi, Africa Cannabi, Europaei difusissimi Vino et spirituosis „ducunt sollicitae jucunda oblivia vitae".

§. 3.

Fons Opii duplex est genus plantarum: Lactuca et Papaver. Lactucarum Succum Opio analogum iam novit antiquitas: „La-

ctucis omnibus succus est candidus, viribus quoque Papaveri similis: 'carpitur per messes inciso caule, conditur in fictili novo, ad multa praeclarus" verba sunt Plinii 20. c. 7. seu 26. Lactuca sativa Linnaeo habetur paregorica, antivenerea, in mat. med. p. 205. hujus succum sole densatum praefert Seudamore succo Lactucae sylvestris contra arthritidem; e caule et foliis plantae, jamjam semina protrudentis, ope incisionum transversalium circularium obtinuit medicus Coxe Philadelphiae Opium, quod in Nosocomiis urbis huius tentatum actuosius exstitit prae orientali; alter tamen hujus plantae succus est medullaris, qui expressus permixtusque minus efficax exhibuit Opium (vide Americ. Transactions t. IV. Voigts Magazin III. p. 275). Lactucarium nominatum Angli modo in artem invehere medicam nituntur. Lactucam silvestrem antiquis, hujus circiter esse census fuit perspectum. Theophrastus in historia plantarum 7. c. 6. notat Lactucae silvestri (quae virosa Linnaei ex Sprengel I. 83.) foliis aculeatis esse Succum acrem et medicatum, qui aquam intercutem expurgat. Eadem, Tridax agria Dioscoridis II. c. 130. pag. 198. gustus amari est, et viribus aliquantum Papaveri similis, unde lacteum eius Succum aliqui Meconio permiscuerunt, — qui dosi minore aquam purgat, summa somnum allicit, doloris levamentum praestat, menses trahit." Pli-

nius addit: „Lactucae atrae distinctio est etiamnum alia, quae meconis vocatur, a copia lactis soporiferi, quamquam omnes somnum parere creduntur" (ad similitudinem scilicet papaveris seu meconis succi) l. 9. c. 8. s. 20. et 20. c. 7. Recentiores speciebus Naturalium sagacius intenti Lactucam silvestrem duplicem effecere, Scariolam et virosam. Utrique est Succus albus acri-amarus, Scariolae lac exsiccatum sistit Succum densatum, inflammabilem (ad Onomatologiam botanicam); plantae hujus Succum igne densatum adhibuit Störck, virosae tamen Linnaei esse putavit, primum observante Professore Winterl in horto Pesthiensi, et exinde Hahnemann (Apothekerlexicon I. 360 et Arnemann Arzneimittellehre). Lactucae virosae Succum narcoticum notarunt Alston et Durande, post hos Schlesinger et Wolf (in Hufeland's Journal) et Gumbrecht (in n. Sammlung für practische Aerzte II. 1. pag. 82). At merito quaeritur, quam speciem Lactucae hi adhibuerint? aut potius varietatem, cum neutra differentiae limites juste emensos ferat: Haller enim et Gerard utramque varietatem esse contendunt, ut adeo Swediauer uno sub titulo utramque exponat in Pharmacologia. Lactucae certe virosae succum densatum Opio papaverino analogum praeberé, quo adulteretur eundemque siccatum ad flammam

similiter ardere notat Haller (Arzneimittellehre p. 220 seq.)

Papaver tamen genuini Opii omni tempore fons exstitit. Lachrymam adeoque Papaveris plurimis locis apte dixit Celsus, similiter Scribonius Largus 107. 170. interdum Nicander Alexipham. c. 15. Opium thebaicum veterum extractum plerosque putare e Papavere orientali Linnaei, asserit Linné, Amoenitatum Academicarum Tomo 8. p. 293. idem assertum in tractatum de Papavere transtulit diligentissimus Murray (App. med. II. 259.), at neuter alium hujus asserti fontem profert, nec mihi in copiosa autorum caterva talis occurrit! Quae tamen planta perennis, rarior nostro tempore vix ad Opium extrahendum adhiberi videtur Linnaeo ipsi l. c. qui iconem Tournefortii (Reisen III. 227.) citat; at recte dignus hicce praecursor Linnaei Opium e Papavere orientali non parari asserit (pag. 226). Quo ex fonte hauserit Lindner (neueste Kunde von Asien II. t.), Papaver orientale in Hindostania fundere Opium, nescio; an, cum in oriente fiat Opium, ex orientali vocata specie oriri autumat? Paravit tamen apud se Schiller diligens Pharmacopoeus rothenburgensis Opium notae optimae e Papavere orientali altissimo (Anzeige der Deutschen 1809). E Papavere rhoeade Opium narcoticae indolis produxit primus Boulduc (memoires de l'Academie des Sc. de Paris 1712.), et post hunc Alston Scotus.

Papaver somniferum Linnaei ea est planta, quae orienti fundit lachrymam, in Opium solidandam; μήκων ἥμερος Dioscoridi dicta IV. 65. Papaver calycibus, capsulisque glabris foliis amplexicaulibus incisis (stigmatibus decem). Papaver Romanis dictum esse a Pappa s. pulte, cum pulti olim admisceretur (prouti aliis cibis) profert Boerhaave, a papa s. cibo derivat Voss Etym. I. 427. et Boerhaave specialem plane admixtionis causam assignans, pro colica infantum sananda (historia plantarum. Romae. p. 359). Romanos sequuntur italicum Papavero, Gallorum Pavot, Anglorum Poppy. Mekion nominavit Dioscorides, Mekon Theophrastus, et plane Makon Siculus Theocritus Id. 11, 57 citante Sprengelio (Gesch. der Botanik I. 38 — ni typi sit error); Màk dixere Bohemi, Macko, Mączek Poloni, Mák Hungari, Magsamen, Magen, Mohn Germani, Maan Belgae. Eadem planta Hispanis audit Dormidera, et Cascak, Arabibus secundum Avicennam Cascas et Casbas, aliis Thaxthax, Delillio l. c. Abou el-noam, idest somniferum, Danis Valmue.

Papaveris hortensis varietates duas iam distinxere Graeci, Romanique, et Botanicorum cohors: sativum, hortense, album Dioscoridis, Plinii et Botanicorum; exactius designatur Bauhino (in Pinace) nomine vulgaris, capsulis apertis, quae sub stigmate poris hiant, seminaque fundunt in usum emulsi aut

olei parandi (weisser oder offener nominare solitum Hagen Apothekerkunst I. 371.); silvestre, nigrum Dioscoridis, Plinii et Botanicorum; capsulis clausis notat Bauhin (schwarzer oder verschlossener Mohn vocari solitum, cum capsulae maturae *saepe* clausae sint Hagen l. c). Has in species distinctas in flora Badensi (II. 478.) effert Gmelin: nigrum dixit somniferum: foliis amplexicaulibus incisis, capsulis hiantibus, semine nigro (potius cinereo - griseo); album vero Papaver officinale: foliis amplexicaulibus incisis, capsulis clausis, semine albo:

Papaveris hujus characteres sunt sequentes:

radix alba, ramosa, descendens;

caulis erectus, teres, minutim angulatus, glaber, rore glauco obductus, ramosus, (subbipedalis Sveciae e Bergio, 3 ad 5 pedum Germaniae e Dietrich, 40 pedum Persiae e Chardin, quod falsum compilatores plurimi fideliter et oscitantes narrarunt; adeo nullus perspexit quanto suggestu opus esset, ut e capsula, quae Papaveri est *terminalis*, tantae plantae colligi posset Opium!

rami alterni, erecti, teretes, vix angulati;

folia alterna sessilia, amplexicaulia, spithamaea, ovato - oblon[illegible]
crenata, glabra; su[illegible]
glauca;

pedunculi terminales, subsolitarii, erecti, hispidi, nudi, uniflori;

calyx: perianthium diphyllum: phyllis oppositis, ovatis, hispidis, concavis, glabris, caducis;

corolla tetrapetala, saepius plena: petalis obovatis, apice rotundatis subsessilibus, patentibus; saepe incarnatis, spontaneae plantae cinereo aut argenteo griseis, basi macula violaceà;

stamina: filamenta plurima, longitudine fere pistilli, thalamo inserta (hypogyna);

pistillum: germen unicum, magnum, globosum, viridescens, glabrum; stylus nullus; stigma maximum, latitudine germinis, peltatum, planum, cartilagineum, margine inciso, supra radiis decem, elevatis, villosis, laciniis stigmatis respondentibus;

capsula (caput officinis dicta) globosa, glabra, rore glauco, coronata stigmate persistente, subdecemlocularis; apice hians sub stigmate; in Svecia magnitudine fere pruni fructus, in Germania major, in Persia interdum ad 35 Uncias aquae capiens; pugni magnitudine ex Oriente allatas capsulas vidit Linné (Amoen. Acad. VIII. 293.);

semina millena alba aut coeruleo-grisea (haec trita nigra), subrotundo-reniformia, utrinque convexa, rugosa, perisper-

mio carnoso, embryone recto: lobis cylindricis; odoris nullius, saporis dulcescentis — mucilaginei.

Odor narcoticus, Opio congruens gradu increscit in foliis, ramis, pedunculis, capsulis.

Lac fundunt album pedunculorum apices et capsulae juniores, cremori lactis simillimum, caulis et folia dilutius.

Planta annua; in Europa floret Junio, Julio; in India orientali Februario.

Habitare dicitur Linnaeo in Europae Australioris ruderatis et agris (Spec. pl. et Mat. med.), huncque sequuntur Willdenow, Onomatologia botanica, caeterique auctores; at solide judicat Murray (App. med. II. p. 254.): id fieri posse ex delapsis casu seminibus; Asiae autem calidioris veram incolam se habere.

Colitur Orientalibus causa Opii copiosissimum, agris vastissimis, imo tractibus, praecipue in Hindostaniae provinciis Behar, Decan, Cambaia, in Persiae Lingar, in Anatoliae Cilicia, Cappadocia, Pamphylia, in Arabia et Aegypto; Olei causa colunt Europaei, imo et seminum pro cibo et condimento, praecipue Galliae, Flandriae, Erfordiae, Hannoveriae, Moraviae, Hungariae, Tridentinae et Genuensis ditionis incolae.

Papaver somniferum Linnaei, officinale Gmelini moderno tempore Opium fundit: album Anatoliae incolis e Belonio et Dict. de Commerce IV. 56. Persis e Kaempfer, Cambaicis e Garcia ab Horto, imo Europaeis huc adusque producentibus; album Europae magis convenire, ac nigrum observat Alston, esse majorem varietatem Pharmacopoea Edinburgensis, fructu majore Linné in Amoen. Acad. VIII. 291; imo plus Opii fundere albo flore quam rubro instructam plantam narrat notitia Indiae recentissima (neueste Kunde von Indien); at nigrum antiquis Opium tribuit, referente Plinio 19. c. 8, 20. c. 18, Dioscoride ed. Mathioli 746. Avicenna in Canonis II. c. 529. Prospero Alpini 121. a; ex utraque tamen varietate desumtum aequaliter bonum est Bergio Mat. med. R. veget. II. 481.

§. 4.

Parandi Opii methodus omni tempore et omnibus regionibus eadem fuit. Plinii sunt verba: „E nigro Papavere sopor gignitur scapo inciso, ut Diagoras suadet, tum turgescit: ut Jollas, quum deflorescit, hora sereni diei, hoc est, quum ros in eo exaruerit. Incidi jubent sub capite et calyce. Nec in alio genere ipsum inciditur caput. Succus et hic et herbae cujuscunque lana excipitur: aut si exiguus est, ungue pollicis, et lactucis,

et postera die, quod inaruit. Papaveris vero largus densatur, non vi soporifera modo, verum si copiosior hauriatur, et in pastillos tritus in umbra siccatur, etiam mortifera per somnos: Opion vocant. l. 20. c. 18. „cum capita ipsa et folia decoquuntur, succus meconium vocatur, multum Opio ignavior:“ ib. Dehinc Dioscorides parationem exponit his verbis: „cum ros in papavere exaruerit, cultro decussatim in stellas, ne penitus adigatur, ex obliquo in rectum summam cutim incidere oportet, lacrymam exeuntem digito in concham abstergere; nec multo post redire, ut concreta inveniatur: etenim, quae tum aut postero die etiam offenditur, in (mortario) vetere pila teri debet, et in pastillos cogi; cum tamen inciditur retrocedendum est, ne vestibus succus deradatur. — Aliqui capita ipsa, et folia tundunt, et prelo exprimunt, terentesque in mortario digerunt in pastillos: id meconium vocant, multum Opio ignavius“. l. 4. c. 60. ed. Mathioli p. 746. Idem breviter exponit Galenus colligi e lactea papaverum capitum lachryma incisis cutetenus cultello capitibus. Novere adeoque tam Dioscorides, quam Galenus locum Opii residentis, quem recentissime Kehr helveta definiit esse capsulae membranam cellularem mediam. Longo abhinc spatio peregrinatores in Orientem Opii colligendi modum observarunt: Kaempfer, Chardin, Kerr, Reineggs, aliique. Kaempfe-

pferi amoenitatibus exoticis haec nobis methodus narratur, fasc. 3. p. 642: in Perside Opii collectio celebratur per ineuntem aestatem, dum resectis nimiis capsulis reliquae grandiores factae, maturitati proximae cultro quinque aciebus instructo ad unum latus longitudinaliter et transversaliter inscinduntur; sequentis diei mane densatum Opium cultello derasum abstergitur in vasculum abdomini praeligatum; dehinc alterum capsulae latus inscinditur. Messis in eodem arvo ob inaequale capsularum incrementum repetitur. Lachryma primum collecta; gobaar dicta; generosissima; coloris pallide flavi (non albi!); altera; raro tertia vice collecta imbecillior iam fere nigricans. Collectum aqua humectatum in patera lignea plana ope spathulae ligneae fortiter agitatur, in picis meliorem consistentiam, viscositatem et nitorem; manu tandem formatur in globos minores; aut saepius cylindros, qui venui exponuntur in compitis; forficibus scissiles: Theriaack Afiuun; seu Theriack malideh vocant (trituratam nempe, a Theriack faruuck seu Androniachi distinctam). Kerr in Indiae provinciae Behar productum narrat Opium (in Edinburg. med. Inquir. V; 317.): semen Papaveris Octobri et Novembri terrae mandatur, repetito rigato agro capsulae semimaturae vesperi inscinduntur incisione longitudinali, superficiali, sequenti mane Opium colligitur cochleari ferreo in capsulas plan-

midiatas, et irradiante sole subigitur in placentas librarum circiter quatuor, foliis propriis involutas. Reineggs refert, capsulam immaturam a pedunculo descissam fundere guttam lactis unam, quae densata Opium sistat generosissimum! at methodus Opii liguritoribus luxuriae ergo valeat, nec usus vulgati aut commercii cum Opio exercendi fons esse potest. Anonymus (in neueste Kunde von Indien I. p. 469.) promit methodum Opii colligendi in provincia Indiae occidentali, Malava: hic seritur Decembri, campis multum rigatis inflorescentia contingit Februario, Opium legitur Martio et Aprili, cultro tricuspidato in vas oleo (sesami aut lini) illitum. Librae seminis papaverini duae in arvo 150 pedes quadratos magno ferunt Opii messem mediam librarum quinque usque undecim.

Variare methodum Opii colligendi scriptores referunt plurimi, quorum tamen nec unus autopta est! Adstruunt inquinationes diversas, quarum vere in observatione habitam vix unus refert, ut adeo opiniones eorum de inquinatione timidae aliis iam in essentiam spectrorum elevatae existant. Varietates hi esse tres narrant: 1-o lachrymam capsularum incisarum, aëre siccatam, albam aut albidolutescentem purissimum Opium, quod Maslac Turcis audit secundum Hermann I. 624, Bergium Hagen etc, at Opium album nullus vidit, nec autopta! (prima enim lachryma in Perside

optima, Gobaar dicta, est pallide flava, Sole sensim fuscanda, sed tale etiam ad nos ex Turcia plurimum allatum est Opium!); alterum huc faciens est: Maslac s. Maslach Turcis vocari compositum ex Opio, Cannabi, Lolio, aliisque stupefacientibus secundum Lindenstolpe, aut plane praeparatum e foliis Cannabis solis secundum citatum Hermahn 1. 367. 2-da Varietas aitera scriptoribus non autoptis dicta, est Opium thebaicum, quod nobis sit officinale, ubique terrarum bene parandum, etiam extra Thebas e capsularum expressarum succo inspissato, quem laborem alii aëre solo, alii igne perfici somniant. Hoc nobis afferri commercio dicitur. 3-tia varietas Meconium veterum e capsularum et foliorum, ab Opii collectione residuorum, infuso aut plane decocto inspissatione parari dicitur: Poust orientalium praecipue Indorum vocatum. Dissertationis ambages solum hoc thema exhauriret, si opiniones auctorum in unum congererentur, atque autoptarum relationibus, Opii occidentalis (ut plurimum in Europa) collectoribus, et qualitatibus chemicis in obversum locarentur. Pauca solum delibare possum limitibus dissertationis constrictus: Kerrium fidem facere, Opium Indiae orientalis preastans nostro officinali simillimum esse; id in Europa per plures regiones productum a dignissimis auctoribus similes characteres cum orientali tulisse, vim tamen pa-

rumper minorem, uti propria paragrapho exponetur; Opium tandem tales partes tenere mixtas, quae solutione aquosa, uti infusione aut decoctione contingit, facile segregantur.

§. 5.

Opium occidentale illud dicendum erit, quod in Europa, imo etiam in America septemtrionali e Capsulae Papaveris lachryma densatur. Incisione capsularum submaturarum et spontanea in aëre densatione pararunt in Germania primus Dillenius, dicendo lachrymam papaveris etiam in Germania bonam! dein summus Haller Göttingae, commerciali simillimum (hist. stirpium Helvetiae n. 1065. Arzneimittellehre p. 270.), Bertram Simon Opio Thebaico penitus aequale (in Trommsdorff Journ. XVI. 1. p. 75.); Schiller Pharmacopoeus e Papaveris somniferi capsulis obtinuit optimae notae; maximi tamen momenti laborem exhausit bernensis medicus Kehr, qui decem annis continuis e papaveris somniferi capitibus Opium elicuit orientali par, proprioque opere descripsit methodum Europae accommodam Anno 1809. — In ditionibus Austriacis (Lundenburgiae in Moravia) producto hoc meritus est Walberg, qui in jugero 1600 orgiarum quadratarum ad minimum 16 libras et octo lotones produci posse effectu demonstravit; Rumi in Hungaria septemtrio-

nali Szomolnokini e Papavere somnifero semine nigro Opium produxit; tandem medicus, Kraus in Banatu Albae-Ecclesiae, orientali debilius, uterque 1809. — In Gallia e Papavere somnifero praeparavit praestans Charas, Loiseleur des longs champs orientali duplo, Cleeario Pharmacopoeus Valentiae quadruplo ignavius, et post hos Dubuc Pharmacopoeus rothomagensis, qui de Opii omnis artificiali compositione inclaruit, opinione tamen infirma: cum e qualitate sola odoris omne judicium hauserit, quam Opio accidentalem esse asseruit! — In Anglia paravit John Ball, in Scotia exactus observator Alston, in America septemtrionali Rickets (Salzburg. m. ch. Ztg. 1799. 1. p. 379.). E horum observatis constat: Opium occidentale viribus omnino par, aut debilius existere orientali, recens esse odoris fortis opiati, aëre tamen siccatum esse odoris remissioris, rubicundum, subpellucidum, ad flammam candelae accensile, ardere flamma laeta, fuliginosa, odore non narcotico, relicto carbone atro. Multi judicarunt, quidam effectu monstrarunt, Opium esse in nostris provinciis levi negotio, magno lucro, et optima qualitate producibile.

§. 6.

Opii genuini characteres sunt sequentes: forma placentarum rotundarum in-

aequaliter depressarum solida, crassarum ad pollices duos, tresve, ambitu circiter pugnum virilem aequantium, ponderis ab unciis quatuor ad libras usque duas, in Hindostania usque quatuor; densum, gravitatis specificae 1,336 Brissonio, 1,363 Freindio (cum secundum Freind praelectiones chym. p. 45. ed. paris. grana sexaginta sub aqua perdant grana quadraginta quatuor: alii leve dicunt, alii grave; est autem Opium aliis vegetabilium succis densatis comparatum grave: nam graviores solum dantur: Opoponax 1622; gummi arabicum 1451; pares solum quatuor: asa foetida 1327; aloë 1358; myrrha 1360; bdellium 1371; caeteri omnes leviores), aequabile; coloris extus ex nigredine rufescentis, intus rufoflavum, flavorufum, rufofuscum (non unquam nigricans!); splendoris nullius, solum in fractura recente micat particulis dispersis salinis; opacum, nec marginibus transparens; tenax, manu tritum emolliendum, plasticum, digitis adhaerens: recens molliculum, dum inveteratum durius; scissile, simulque in fragmenta dissiliens, absque stridore; odor vehemens proprius (papaveraceus): viroso-narcoticus, ingratus, cerebrum tentans, stupefaciens; sapor nauseosus duplex: primum amaricans, dein acris, pungens, caloris imprimens sensum, qui labiis, palato, linguae per plura minuta inhaeret; longius in ore detentum plane exulcerat (Wedel opiologia p. 26, idem acrimonia ventri-

culum et intestina inflammat ib. p. 59!). Humefactum inquinat, scribit in charta lineas flavas, cinnamomeas, dilute fuscas, at interruptas; masticatum salivae spumam tingit flavo-fusco in viresenti album declinante tinctu. Flammae admotum facile accenditur: flamma ardens vivida, odore non narcotico, exstinctumque odoris vim servat. Solvitur aqua majore ex parte, solutione per alcohol additum non turbanda; magis Alcohole, optime tamen Vino, Spiritibus aethereis, Alcohole Kali tenente, aquis aromaticis; praevalet solutio in Alcohole diluto. Solutiones pigmenta probatoria vegetabilium coerulea rufant, Sulphatem Ferri solutum dejiciunt in atramentum.

Opium mutatur aetate, tostione, coctione.

In pulverem redigitur lene siccatione s. calida, seu frigore: pulvis Opii est coloris dilute fusco-flavi, calore lenissimo, imo manus adhibitae coagmentandus.

Opium selectum Turcis probatur solidum, tenax, coloris obscure fusci, fracturae splendicantis, quae picis nauticae, odoris tetri, saporis amari, acris calidiusculi, valde inflammabile et combustibile flamma lucida, quod tincturam largiatur brunneam; aqua fere totum solubile (Dumont Voyage t. 4. p. 52). Nobis selectum est pari incedens charactere: colore flavo-fusco, profunde rufo-fusco, (pro aetate et calore mutante), compactum aequabile, grave, tenax,

minus scissile, fragile, minus friabile; fragmentorum superficie exhibens particulas oleoso-salinas, odoris, saporis dicti; humefactum scribens dilute fusco colore, facile inflammabile, flamma laeta; aqua facile solubile, fere totum, relicta colla, colore solutionis rubello, Spiritu Vini miscibile sine turbatione.

Rejiciendum est profunde fuscum, nigricans, nigrum, quod consistentiae mollis, plasticae, ungvinosae, aut grumosae, asperae aut friabilis est; leve, odoris empyreumatici, saporis dulcescentis, aut minus amari, vix acris; masticatum salivam fusco aut nigro tingens, humefactum scribit lineam fuscam, nigramve cohaerentem, quod colatum mox coit, cerae instar, solutionem largitur aquae flavam.

Inquinamenta Opii narrantur adeo multa, imo necdum visa! Extractum Capsularum Papaveris aquosum, aut imo plantae totius, extractum Chelidonii glaucii, aut majoris, illud Lactucae virosae, aliud Glycirrhyzae glabrae (succus Liquiritiae dictum), gummi arabicum, aut Tragacanthae, Oleum lini aut sesami, (adipem plane admiscuerunt: sunt verba Dioscoridis) Aloë, color ferri, arena, ac pro complemento stercus bovinum. Nec de stercore sublevarunt auctores Opium! At non legi auctorem vel unum, qui talia vidisset: nec apud Hungaros, quibus Turcae sae-

pe ad Centenarios afferunt, talia visa! Accedunt tamen huic seriei, Opii involvendis placentis destinata, quae ne cohaereant, facile plasticae, foliis seminibusque cinguntur se adglutinantibus: foliis, quod alii narrant papaveris, rumicis, nicotianae, seminibus, quod Opio nostro e Turcia advecto commune est, rumicis cujusdam, quam Gren (in Pharmacologia II. 90.) fundamento quodam patientiae varietatem dicit. Extractum Papaveris est colore nigro-fusci, durius, odore debile, aut empyreumaticum, non inflammabile, salivam fusco inquinat, aqua totum solubile, atque solutio turbatur Alcohole ex Rose (in Gren Pharm. II. 93.); Extractum Chelidonii majoris, aut glaucii, alterius odoris, solutionis colore flavo-fusco; illud Lactucae virosae exiliter spirat, aspectu asperius (e Dioscoride); hoc Glycirrhyzae fragilius, saporis dulcis, humefactum striam in charta ducit profunde fuscam, continuam! Gummi arabicum se prodit splendore, fragilitate, infirmitate, Tragacanthae digestum solvente, ex alcoholis una et aquae duabus sextuplo pondere abit totum in gelatinam tremulam. Opium oleo mixtum dat Tincturam turbidam. Arena admixta videtur microscopio, dentibus commolita, et cultro scissa stridet, a solutione remanet.

§. 7.

Opii Analysis chemica adaequata in desiderio, nec natura chemica vere eruta est, licet chemicorum series insudaverit, quam primus, et alias saepe vocandus, ducit Neumann, Anno Saeculi decimi octavi 30-mo; hunc sequitur Zencker 45-to, Rumpel 73-tio, Josse 76-to, Lorry 77-mo, hosque Bucquet, et Baumé, atque recentiores Harrison 84-to, Crumpe 93-tio, et Eccard 1800-mo, at nova Opii cognitioni chemicorum illuxit periodus eodem Anno 1800-mo, quo Bucholz Opii analysim vulgavit (in Trommsdorfii Journ. VIII. 1. p. 24. sq.); 1803-tio Derosne crystallinum eruit principium alcalinum, recentioribus Morphinam dictum, quod 1804 Sertürner cognovit acido junctum proprio, insequente Anno separatum, meconicum dictum, 1817-tandem per eundem maxime comprobatum Auctore eodem, et gallis Choulant, atque exactissimo Robiquet. Quae difficilis natura insidiantibus pandebat viris pauca, attamen momentosa et pulcra paucis perstricta locum hic inveniant. Sunt autem partes Opii: Volatile narcoticum (an oleum?), gummi, extractivum partim simplex, partim oxydatius, resina, oleum concretius ceroideum, gluten albumini succorum virescentium analogum, caoutchouc, morphina qua alcali proprium, acidum pro-

prium, meconicum dictum, calcaria sulphurica, Kali sulphuricum, alumina, atque fibrae vegetabiles admixtae.

Volatile quoddam inesse Opio suadet odor, actio sub tostione, destillatione, coctione in adstantes narcotica, odor tunc magis evolutus, vase non coërcibilis (e Büchner et Borrich), Opii tosti pro gradu operis actio lenior aut nulla, aquae tandem Opii destillati productio: haec est meraca, cum Opii scrupulus aquae novem libris qualitates tribuat: odoris et saporis opiati e Neumann et Büchner, odoris tantummodo opiati e Crumpe exp. 23 (qui super Opii uncia unam libram abstraxit aquae); Bucholz e granis Opii quingentis cum unciis triginta duabus Opii obtinuit uncias sex Aquae excoloris, limpidae, odoris capsularum papaveris recentium transcissarum, odoris stupefacientis, saporis opiati, non tamen acris; nec eadem rectificata concentratior oleum sistit, nec in cane bienni tota effectus exhibuit! — At olei praesentiae obfuisse videtur parvitas Opii, effectui in canem certo obfuit peculiaris canum ad Opium relatio, qua majores longe requirunt doses aliis animantibus. Eccard etenim (p. 20) super uncia Opii abstractam sesquiunciam obtinuit aquae destillatae lacteam, turbidam! odoris tamen vix opiati et saporis pauci. Leigh (Inq. p. 56.) oleum ex aqua disjunxit Tartari solubilis ope, forma globulorum innatantium,

saporis pungentis: hinc aquae Leighio obtentae grana quindecim Hyperemesim produxere, cum illa Eccardi solum pulsum augeret. Dubuc Opium vase clauso siccatum in temperatura 40—50 R. viroso odore perdito observavit eum Laudani (extracti scilicet aquosi) assummere; idem aquam destillatam Opii contemplatus est excolorem quidem, at post aliquot dies leviter citrinam fieri! Gas aquam comitans, nec eadem totum solubile odoris est opiati, et respiratum animantibus lethale (apud Voigt Magazin III. 357). Huc referenda Neumanni scientia, qui novit homines clausos, absque propinatione ulla, ex Opio stupefacere, somno, imo forte morte opprimere (Chymia I. 826). — Cui tamen Opii parti alteri materiali adhaereat istud volatile, non liquet: videtur affinius esse oleo opii tenaci, sub coctione ejusdem cum aqua hujus superficiem petenti.

Extractivum Opio inest e chemicorum omnium sententia, plurimis organicis utique se ingerens chamaeleon, necdum satis descriptus, clare nondum visus: ubique alter, fere 36 centesimas ejusdem stitit exactissimus Bucholz: coloris fusco-flavi. Adest illud in extractione aquosa prima, adeo ut solutioni spirituosae secundae (seu Alcoholi post aquam affuso) parum relinquatur e Derosne, qui aliud modificatum extractivum oxydatum inesse observavit, alcohole non solubile, coloris fu-

sci, quod Sertürner arctissimum extractivi cum acido meconico esse connubium agnovit.

Gummi triginta centesimas ex Opio separavit partes Bucholz, quod adest in solutione aquosa prima alcohole dejiciendum, atque ab extractivo separandum.

Resinae centesimas novem obtinuit Bucholz e solutione spirituosa secunda ope inspissationis, Alcohole difficulter redissolubilis, quae tamen quantitas aequa minor esse videtur, licet glutini adhaerere partem aliam idem asserat auctor: nam solutio aquosa prima multas illius partes suscipit, eo plures, quo paucior est aqua adhibita, cum e Derosne extractivum solutionem adjuvet resinae. Resina haec e solutione aquosa repetitis ad consistentiam Syrupi inspissationibus atque redissolutionibus continuo separatur, primum mollis et tenax, tardius densior, dura. Verum et huic Derosnianae observationi (alioquin e Gallis praeamata methodo, extractum aquosum ad Baumé mentem parandi, obortae) objiciatur: resinam sic obtentam sensim ex aliis enatam esse partibus!

Gluten e solutione spirituosa secunda deponitur refrigeratione, imo resinae post Alcohol fugatum residuae adhaeret: solventibus, praecipitantibus, atque odore super carbone ignito discernibile. Centum Opii partibus insunt glutinis partes ultra undecim.

Caoutchouc sistit Aether e residuo extractionis aquosae primae, dein spirituosae secundae, ope aquae copiosae additae, proportione ad centum fere quinque partium.

Oleum inesse Opio plures consentiunt observationes antiquorum autorum et recentiorum Derosne, Proust, Sertürner, hinc illinc nomine Balsami (alioquin entis necdum designati) comprehensi. Adest e Derosne in solutione spirituosa secunda, consistentius (inde Balsamum vocant), profunde coloratum, odorum, atque efficit 0,03 partes. — Alii resinam vocant, distinctam a consueta: dura, friabili, tarde agente; separatur ex Opio cum aqua infuso, aut decocto in superficiem liquidi cuticulae pinguis instar (Zimmermann in Lemery Cours de Chymie 809x): spumescens, ungvinosum (Cartheuser fund. mat. med. II. 37. 39.) aut plane butyraceum, coloris cinerei, postque menstruam digestionem tandem disparens, parum volatile, non adscendens (Baumé Elemens de Pharmacie p. 298). Huic parti separatae ingens inest stupefaciendi vis, cum pauca grana canem Opii drachma non multum commotum occidant e Zimmermann, et Cartheuser, qui e libra Opii infusi ad drachmas duas cochleari separari posse observant, totidemque notat Haller (Arznei M. L. 272), qui ex unciis duabus plane drachmam semis obtineri narrat, seu 0,03 (p. 274).

Amylum paucum inesse, protulit Seguini labor imperfectior.

Sulphatem Calcariae observavit Sertürner, hunc atque insuper eum Kali Derosne atque Sertürner: utrumque ex Opii extracto aquoso separari posse Alchole aut concrematione docuit Derosne; at exactissimus alias Bucholz ex Opii extracto aquoso inspissatione iterata nil plane crystallisabilis, verum concrematione partium centum extractione Kali sulphurici duas, Calcariae sulphuricae vix unam obtinuit!

Aluminam separavit Sertürner; hanc atque ferrum parcissime ex Opii extracto combusto Bucholz.

At Opii partes restant duae momentosissimae (non enim cum chemicis dicam essentiales): Alcali atque Acidum, utrumque proprium, utrumque iam antiquioribus notum, recentissime agnitum atque descriptum, necdum tamen plenarie cognitum: acidum meconicum, atque morphina.

Acidum meconicum Sertürneri Anno 1804, et maxime 5-to inventum, antiquioribus cognitum fuit. Schroeer sub finem Saeculi 17-mi observavit solutionem Opii aquosam Kali atque Ammonio carbonicis praecipitari, imo effervescere; acidum inesse liberum statuit Tournefort (apud Linné Diss. acad. VIII. 297) e rufato pigmento violae atque Lacmus; idem agnovit Hoffmann, qui

Kali carbonicum effervescere vidit, Neumann, Geoffroy ex observatione iterum pigmenti mutati (Mat. med. II. 692, qui plane parum acidi prussici inesse statuit); e Schroeeri observatione acidum adesse debere statuit Zimmermann (in Neumanni Chymia I. 822); his tandem accedunt Tralles et Proust. Alston nec syrupum violarum rufari, nec effervescentiam cum carbonatibus oboriri videns Hoffmannium atque Geoffroyum arguit, incassum, natura refellente. Derosnè Anno 1803 acidum Opii aceticum, Seguin 1804 aceticum imperfectum; alio insuper, malico forte accedente, nominavit, anno eodem Sertürner eruit esse proprium, nomine insignivit (papaverini, Mohnsaeure), atque mox insequente praeparandi, depurandique rationem docuit (in Trommsdorf Journal XIII. et XIV). — Acidum meconicum adest in Opio orientali, atque occidentali, tam in solutione aquosa, quam in spirituosa, e quibus dejicitur Baryta aut Plumbo aceticis in praecipitatum, per Kali ab extractivo adhaerente depurandum, quod addito acido sulphurico sistit acidum meconicum. Methodum hanc Sertürneri mutavit Choulant in sequentem, cum ex Opii solutione Ammonio excessivo mixta, ad syrupi consistentiam inspissata Morphinam separasset, dein vero Barytam aceticam aut muriaticam addendo, Barytam meconicam obtentam ope Acidi sulphurici decomposuisset: sic tamen dis-

disjuncto acidum inesse sulphuricum fatetur. Robiquet simili methodo usus Magnesiam praefert Ammonio, dum ex Opii cum Magnesia et Aqua cocti sedimento bene loto Alcohole ebulliente auffert Morphinam; sedimentum residuum Acido sulphurico solutum miscetur Muriati Barytae, indeque obtentum sedimentum cum Acido sulphurico digestum aquae copiosae largitur Acidum meconicum, leni sublimatione depurandum. Puri, paucissimi tamen praeparati methodum distinctam tradit Choulant, qua Opium et Acidum boracicum pulverata leni igne largiuntur sublimatas Acidi meconici tabulas, tenues, nitidas. — Acidum esse docet neutralisatio basium, disjunctio e neutralibus per acida, cui accedit reactio in pigmenta coerulea, saporque. Acidum est crystallinum, saporis aciduli, dein ingrate amari, post fusionem sublimabile, ferricum acidis solutum tingens fusco rubro, praecipitans solutiones Plumbi, Barytae (e Sertürner, quem tamen effectum Robiquet alteri imputat materiae), aquam calcis, muriatem Stanni. Characteres acidi hujus sunto: forma solida, sublimatione obtenti tabulae tetragonae s. lamellae albae nitentes, crystallisati vero e liquore acicularis, interdum in fasciculos congregatae, rarius ramificationis octaëdricae; color nullus seu albus, friabile, sapor mitis, acidus, tardior nauseoso-amarus. Funditur igne usque 125 C. dein sublimatur

integrum; vehementiore tamen disjungitur prout organicum. Solvitur facile aqua atque alcohole. Unitur basibus alcalinis, terreis, metallicis. Meconates metallici quidem pulcre colorati: ferrici fusco-rubro, aurici saturate coeruleo, cuprici (e sulphate separati) smaragdino. Meconas Ammonii atque Natri aciculas, calcariae prisma, Kali tabulam effectat rhombeam.

Morphinam dixit Sertürner Alcali Opii. Antiquos Morphinam agnovisse concludo, dum crystallini Salis obtenti ex Opio soluto mentionem ingerunt; difficilis enim solubilitatis Morphina facile, facillimae vero solubilitatis Acidum meconicum difficulter formam sectatur crystallinam: licet Sal acidum esse plures aperte loquantur, quorum tamen nullus crystallos ipsas experimento subjecit, verum cum solutionem Opii (aquosam, alcoholicam) pigmenta rufare, cum alcalibus blandis effervescere — iidemque crystallos salinas observarent, saltu quodam judicii qualitates solutionis Opii transtulerunt in concretum crystallinum disjunctum! Crystallinam Opii partem vidit Wedel, salinamque dixit (Opiologia p. 70.), Fridericus Hoffmann frigore crystallisari observavit, forma florum Benzoës, adeoque aciculari - prismatica (de correct. Opii §. 5.), vidit Neumann (de Opio p. 115.); vidit Baumé sub extractione aquosi inspissatione ultima (e libris Opii quatuor ad pintam

unam oriri pondere drachmae unius) crystallos salino - terreas, forma acidi boracici s. lamellosa, partim acicularum parvarum (El. de Pharm. p. 299), vidit Eccard, et tandem Derosne; Eccard e solutione Opii in Alcohole diluto obtinuit crystallos reticulatim aggregatas (adeoque prismaticas acicalares), coloris fusci, gummosaeque esse naturae observat (de analysi Opii p. 10.). Crystallos has ex extracto aquoso Bucholz obtinere non potuit, nec solutione ac inspissatione repetita, cui tamen facto negativo omnia obsunt experimenta. Post ipsum Derosne Anno 1803 hocce principium proximum Regni vegetabilis invenit, atque separatum stitit, crystallinum; quod inventum Sertürner 1805 et 1817 comprobavit, atque penitus perspexit: Morphinam eidem vocatam esse Alcali, cum acido meconico in salem acidulum junctum, cui accedit Choulant; at Robiquet aliud esse suspicatur, lite necdum diremta. — Morphina Sertürnero, principium narcoticum Derosnio dictum habitat in succo papaveris lacteo, capsulis hujus minus maturis, inque Opio. Derosne illam obtinuit ex Opii previe aqua, dein Alcohole diluto extracti residuo cum Alcohole cocto, e quo refrigerato crystalli discessere. — Robiquet Opium aut extractum aquosum cum Magnesia (libram unam cum decem grammis) et aqua coxit per minuta 30 aut 45; residuum copiosum sedimentum aqua frigida elotum,

siccavit, alchole frigido eluit, ac tandem ope coctionis in Alcohole obtinuit crystallos post refrigerationem. — Sertürner extractum Opii aquosum Ammonio praecipitavit, atque e praecipitato obtento Alcohole calido soluto obtinuit Morphinam; idem tardius Opii pulverem acido acetico (unicias octo unciis tribus) solutum Ammonio praecipitavit, atque praecipitatum frigide lotum, dein Alcohole calido solvit, unde refrigeratione comparuerunt crystalli, minus tamen purae. — Eandem methodum adhibuit mutatam Lange, pro Morphina purissima obtinenda, cum praecipitatum per Ammonium obtentum Acido muriatico concentratiore solvit, crystallos refrigeratione secedentes plummosas inter lintei strata expressas et aqua frigida lotas iterum Ammonio decomposuisset. Unam vigesimam quintam ponderis Opii obtinuit Derosne. — Morphinae Diagnosis sequens esto: crystallisabilis, Alcohole, Aethere, oleis aromaticis, et acidis facile, aqua difficilius solubilis; acidis neutralisanda, inde alcalibus praecipitabilis forma pulveris; acido nitrico mox rufata facile solubilis, coctione sistens acidi oxalici Crystallos copiosas; igne mox fusibilis, altiore vaporosa ardens cum flamma; virtute narcotica. Camphorae analogam autumat Pfaff, quae tamen, licet organica, Aluminae reactione accedit. — Characteres momentosi principii habeto: forma est solida, crystallina: prismatica tetraë-

dra, basi rhombea, rarius pyramidali simplice aut duplice; prismatibus tenuioribus in fasciculos adgregatis; excolor (album), splendor sericeus, attactus pinguiusculus, friabilitas, gravitas major ac aquae purae, odor nullus, sapor (Derosnio nullus, at) adstringenti amarus, praecipue Morphinae per Kali praecipitatae, aut contritae, imo et solutae; lucis refractio multa. — Solvitur Alcohole, Aethere, Oleis, Acidis, vix Aqua, cujus fervidae secundum Derosne 400, secundum Choulant 82 partes uni sufficiunt parti; Alcoholis fervidi partes 36 secundum Choulant, 24 secundum Derosne, 18 ad 19 solvunt unam (quantitates has diversas non miremur, si puritatis gradus diversos, concentrationis Alcoholis, omnium vero maxime varietates Morphinae non obscure indicatas, ultra dissertationis hujus limites excurrentes, perpenderimus); Aether et Olea aromatica tantummodo calida solvunt. Ex omnibus refrigeratis excidit Morphina crystallina, ex oleis vero initio subfluida, mora crystallisanda. Frigidi Alcoholis 100 secundum Derosne, 42 secundum Choulant solvitur. Unitur acidis, excepto carbonico (licet unicus Choulant carbonatem Morphinae produxerit, descripseritque, hunc tamen non esse purissimae Morphinae dicunt), imo et Sulphuri, atque Extractivo; acidis jungitur vi minore ac Magnesia: Neutralia Morphinae excolora, formae utplurimum crystallinae, prismaticae sae-

pe radiatim adgregatae, splendor micans; aestuosissima Morphinae virtute in animalia viva praedita. Decomponit Neutralia metallorum e, g. Hydrargyri, Plumbi; praecipitat ex acido muriatico Cuprum, e sulphurico Ferrum; cum Acetate Cupri triplex sistit Neutrale. — Igne tentata in cochleari facile funditur, facie Cerae aut Sulphuris fusi, refrigeratum crystallisatur; igne leniore fixum, majore destillatum funditur evolutis vaporibus albis, in collo retortae densatis in oleum flavicans, tenax, odoris aromatici, saporis acerrimi; simul destillat Liquor Ammonii subcarbonici, tardius Ammonium subcarbonicum solidum, gas hydrogenium carbonatum, relicta initio resina nigricante, tandem residuo carbone levi, spongiosae texturae, iridei coloris atque splendoris. Super carbone candente accenditur: vapores flamma candelae accenduntur. Notabilis tandem est reactio in pigmenta vegetabilia probatoria: Syrupum enim violarum viridat (ex Hermbstaedt decolorem reddit), Lacmus rufatum in coeruleum reducit, tincturam Curcumae et Rhei fuscat, Alcalium fortiorum instar, a quibus alio omni alioquin charactere dehiscit. — Coalescere Morphinam e principiis organicorum omnium remotis patet e destillationis productis; metallicae indolis esse Sertürner recentissime statuit (Morphium oxygenio junctum constituere Morphinam): Hy-

drargyro alioquin per apparatum Voltaianum potentiorem jungendum.

Linquenda jam tellus chemica, ita, ut ultimo obtutu quid inde arti salutari obveniat, contemplemur. Cum omnes fere chemici antiquiores vires Opii in gummi, in resina, aut rarius in oleo aquae solventi innatante positas esse contenderunt, recentiores novis suis inventis inhaerentes Opii materiale activum S u p e r m e c o n a t e m M o r p h i n a e statuere (Sertürner, Choulant, Orfila, Hermbstaedt), qui totus aqua difficulter solvitur: frigida plane disjungitur in Submeconatem difficulter solubilem, et Supermeconatam facile solubilem (e Sertürner); aqua calida solutus crystallisatur prismate tetraëdro, basi rhombea. Vim esse acido meconico venenatissimam Sertürneri postrema tentamina suadent: cum solutio aquosa diluta ingestione aut insitione canes sensim emaciet, exhauriat, aquae toffanae instar, cum Meconates diros edant effectus: Meconas Natri Sertürnero Dispnoeam et oppressionem pectoris et sensum quasi jugulationis causaverit, cani bimestri pondere granorum trium emesim, dispnoeam, paralysim extremitatum posticarum, lenes convulsiones produxerit. Morphina e contra Opii vires concentratiores gerit ad mentem Derosne, et Sertürner: causando epirrhoeam in caput, cephalalgiam, emesim, obstipationem alvi, soporem et somnolentiam profundam, imo et

convulsiones, qui effectus hominibus a granis duobus, canibus dosi media granorum duodecim contingunt, qui alias a drachmis parum afficiuntur. His tamen observatis Nystenii experimenta obsunt, adeo, ut hic resinam Opii potentiorem enunciet Morphina. Experimenta contradictoria ansam dabunt ulteriore tentamine Naturae systematicam Unitatem evolvendi. Morphinae certo effectus noxii in animantibus Aceto infringuntur, uti Opii, meconici acidi vero Morphina, imo vero Meconatis Natri et acido nitrico.

Opium, cujus a paucis annis mirabilem naturam perspicere primum adgressi sumus, quam tamen necdum mente tenemus, Totum est cohoerens systematicum e Morphina, Colla, Caoutschouc basicis; ex acido meconico, extractivo, gummi, resina, oleo acidis (quae postrema aliis solum portitores esse dicuntur), serie actuosorum descendente, adscendente: disjecti membra effoeta esse nemo hactenus statuat.

II.

Pharmacologia Opii.

§. 8.

Effectus Opii in animantibus vivis difficillimum est dissertationis thema, tam empirice, quam e puncto Scientiae: empirice, cum sibi succedentes nonnisi a sagacissimis observentur, tardius in alios transeant, varient a sensilitate, asvetudine, aetate, praeparatis adhibitis; e puncto Scientiae, cum nude considerati singillativi Labyrinthum sistant empiricum, nec filo ariadneo permeabilem, cumque causa summa et una seu effectus vere proximus in concreto consideratus conditionis vitae, difficillime cognoscendae, statum proxime tangere debeat. Alii historica expositione per auctores, diversa sentientes, per theorias scholarum procedant; ego quidem, quoad potero, genetica effectuum serie procedam.

Principio notandum alium esse effectum dosis moderatae, adaequatae, alium excessivae, cum haec postrema praepropere ad extrema, saltu superatis intermediis phoenomenis, transsiliat. D o s i s a d a e q u a t a primum excitat, cum organa vitalitatis reactione majore antagonistica reagant, postremo debilitat, cum relaxatio functionum succedat. Imaginis hujus partes sunt: circulatio aucta: pulsus major, plenior, celerior; calor auctus, cum diaphoresi, imo pruritu cutis; humorum expansio, epirrhoea cephalica; respiratio aucta, saepe ad dyspnoeam usque; in acmi tandem incitationis sequitur exaltatio animi et intellectus: hilaritas, felicitas, gaudium, voluptas. Vi majore (nonnunquam in sensilioribus primario) aut successionis jure sequitur incitabilitatis imminutio, pulsus parvus, debilis, irregularis; sensus imminutus: tristitia, somnolentia, somnus, temulentia, inebriatio, stupor, hinc dolorum lenimen! irritabilitatis imminutio: status fessus, motus impeditus, paralysis, dispnoea, evacuationes suppressae normales et abnormes, praeter perspirationem auctam a relaxatione solidorum, aucto volumine fluidorum, et affluxum lactis in mammas. — D o s i s e x c e s s i v a curriculum currit citius idem, et maxima mox metam attingit, ita, ut actio primaria vix adsit, posthuma illico accidat. Exhaustionem monstrat pulsus plenus, tardus, aut tandem minimus citissimus,

frigus; epirhoea cephalica, cephalalgia, vertigo, delirium, vaniloquentia; lassitudo, dedolatio; sensilitas imminuta: labefactatus visus, auditus, tactus; somnus profundus, cum insomniis horridis, phantasmatibus, aut stupefactio quasi apoplectica; anxietas similis agonisticae; Spasmi, convulsiones, paralysis, tetanus; lethargus; mors tandem convulsiva, apoplectica.

Effectuum specialium considerationem exinde plane perspectam haberi posse autumo, cum e disjectissima eorum enumeratione, ad normam Hahnemanni, pro systematica cognitione nil penitus sperem.

1. Circulationis auctae testimonia plurima contulit summus in nostro objecto Tralles I. 63 seq., cui recentiores plurimi accedunt. En viros: Waldschmidt, Pitcairn, Berger, Freind, Thomson, Hamberger, Heister, Alston, Vicat, Andreae, et consentientes summos Sydenham, Boerhaave, Young, Haller, et exactissimum experimentatorem Crumpe pluribus experimentis innixos, cui accedat Eccard! magna tamen series aliorum huic opponitur, ne injurius sim, experimentis minus innixorum; unicus expertior Whytt refellitur per Haller atque Tissot. Qui-

dam sibi ipsis contradicunt, prouti Willis, Lindenstolpe et Alston; alii ab orgasmo functionum sedato ad similem in sangvine productum effectum concludunt, uti Opiohpilus Hecquet et Ettmüller; antiqui tandem, hoc in puncto mere theoretici, Opium frigidum supponentes motum humorum tardiorem, supposuerunt, iidem, qui Opium cardiacum crediderunt, adeoque vitalitatem augens! Observatio haec capienda, cum Opii dosis debita, vitalitati admensurata, porrigitur, ante et post horam, cum dosis major mox exhauriat, cum mora longiore pulsus remissior ad consvetum aut pauciorem numerum redeat.

2. Calor auctus fluit e motu fluidi vitalis promtiore. Hujus observationes iterum collegit Tralles I. 132. 134. Longo quidem tempore ductoribus graecis Dioscoride, Galeno, Aureliano etc. frigus producere putabatur; Opium frigidi injuria affectum! hisque recentiores aliqui subscripsere, ut plurimum via hypothetica incedentes Freitag, Hebenstreit, Fernel, Borrich, Willis, Schelhammer, Rammazzini, Richter; inter utrosque incertus haeret praestans Alston; et Chemicos primum de Galeno dubitare ausos magna sequebatur cohors Opium calidum agnoscentium: Chemici Rolfink, Döring, Helmont, Schroeder, Freind; Botanici Matthiolus, Bauhin, Ballo-

nius, Hermann; Medici Plater, Quercetan, Simon Pauli, Sennert, Wepfer, Berger, Sydenham, Boerhaave, Thomson, Young, Juncker, Murray, Clarck. Plurimi quidem initio timidi e sapore Opii amaro, acri calefaciente, lingvam et palatum exedente, e quo judicato Swieten (Comm. ad aph. 202.) miratur antiquos nec prius ausos Scholae renunciare: tantum est magni ingenii per Saecula imperium, tam viles sunt animi imitatorum! Vino analogum credidere Opium Huxham, Boerhaave, Reil; Ammonio Pitcairn et Mead; at magnum repleret tractatum Opii analogia atque differentia, cujus epitome monstraret: esse analogum, differens tamen ac plane peculiare in vitalitatem directe agens. A Dosi media canes et catos in calorem febrilem, imo furorem raptos viderunt Berger, et Büchner; hominibus parva dosi sumtum mox causat oris siccitatem (e Mathaei, Schelhammer, Ettmüller) eandemque labiorum, et faucium, inde sitim graviorem (ex Ettmüller §. 3.) Geoffroy M. m. II. §. 695, Young, Matthaei, Grimm, Clarck, quam tamen secundariam a sudore aucto distingvendam duco; calorem auctum a dosi media in se observarunt Ballonius (obs. 3. c. 15.), a grano sesquitertio Crumpe (exp. 3.), a granis duobus Eccard post horam a sumtione (pag. 9.). Urinam evacuari (aut nullam, aut) parcam profunde coloratam huc facere credo, quam observarunt Riedlin, Grimm,

Matthaei, plane iu se ipso Young, et Haematuriam Hecquet. Calorem hunc a capite defluere observavit Matthaei, e pectore Ballonius; universalem esse omnes consentiunt. — Cordis ustionem a Juncker observatam, praecordiorum et capitis sensationem a vesperi sumto Opio matutinam calidam ad posthumos effectus spectare nemo non videt. — At frigus observarunt Willis, Schelhammer, Chardin, Reineggs, aliique, et quidem cum pulsu minimo Schelhammer; id est effectus dosium excessivarum, symptoma intoxicationis, imo prodromus mortis, aut, quod tamen rarius, dosis moderatae posthumus.

3. Sangvinem expandi attenuari negarunt frigidi asseclae. Nihil huc facientis observavit Lorry (I. de med. 1756. I. p. 77.) et Militia (de morbis exitialibus virginem patavinam excruciantibus p. 32). Alston semel sangvinem e vena missum coagulari videns, vim Opio coagulantem et intra venas adscripsit (Ed. V. 160), qui tamen sangvinem in vasis cruralibus ranae ab Opii soluti paucis guttis ingesti microscopio vidit dissolutum. Nec extra corpus missus sangvis Opio coagulabatur, imo fluidus perstitit, qui sibi relictus mox in coagulum densabatur in experimentis Freindii, Hambergeri, et Actis Ed. VI. 606. Animalium sangvis ab ingesto Opio

fluidior visus Bergero, Borrichio, ab injecto in venam jugularem canum fluidus spumosus, ruber Freindio. Opiophagorum sangvis a morte nec coagulabilis Geoffroyo (M. med. II. p. 699). Huc faciunt fluxiones quaedam excitatae: os spumosum animalium et hominum Opio occissorum (Reineggs p. 384), Ptyalismus interdum obortus, Haemoptoë a Young (Orig. p. 29.) et Hecquet (p. 314), Haematuria a Hecquet (p. 184), tumor mammarum? et lactis uberior copia omnibus observata (Geoffroy II. 696. et Linné Amoen. Acad.). Sangvinem rarefieri Opio plurimi testantur observatores: Pechlin, Willis, Pitcairn, Tournefort, Hoffmann, Berger, Thomson, Geoffroy, Boerhaave, Baron, Cartheuser, Freind experimentis pluribus extra et intra corpus nixus (Emmenologia p. 120. 124. et historia med. 153), et hujus amicus Mead (de venenis p. 130), Eller, Whytt, Alston alias contrarius, adeoque sibi non constans (Ed. V. 156), Young, Haller, Tralles. Imo attenuare, expandere debet Opium, quod calorem auget, quod Vino et Ammonio analoge agit.

4. Opium respirationem auget. Factum hoc observarunt omnes de Opii viribus scriptores: Scribonius Largus, Willis, Hoffmann, Mead, Freind, Hamberger, Büchner, Sauvages, Murray, Lacroix, Vicat, Crum-

pe etc; experimentis in animalibus captis probant Berger, Büchner, et Mead, in se ipsis G. Clauder et Young. Anxietatem praecordialem esse comitem observarunt Hoffmann, Hamberger, Matthaei, Grimm, Müller; cum pectoris constrictione Young et Matthaei; cum stertore Willis, Sauvages, Muzell, Crumpe, Aepli, Pyl; imo tandem cum periculo suffocationis Grimm, cum Haemoptoë Young et Hecquet. — Non haec mira, non contradictoria: omnia etenim, quae circulationem augent, etiam raspirationem augere necesse est; eo magis, quae sangvinem volumine augent, ut motu pulmonum aucto sangvis impetuosior transmittatur. At circulatio relatione ad pulmonum capacitatem nimia, resistentia in vasis minimis pulmonalibus oborta subsequitur dispnoea, oppressio pectoris (vasorum minimorum, et vesicularum aërearum) atque anxietas; raris imo in casibus laceratio vasorum seu haemoptoë. Tardius confert ad phaenomenum augendum activitas muscularis imminuta, adeoque paresis musculorum voluntariorum, tandem involuntariorum: cordis, diaphragmatis; metam ponit horum paralysis, et mors. — Juste his de causis monet Tulpius (Monita medica. Obs. p. 387): Opium dispnoicis non esse concedendum. — Unicus, quod mihi innotuit, est Ettmüller: respirationem Opio imminui, dicens, quod solum actioni Opii aut largius exhibiti ad obser-

servationem Crumpe respicit, aut communiter extremum actionis ejusdem: intoxicatione ad metam properante, pulsu atque calore minuto, morte appropinguante.

5. Capitis dolor pressorius et gravedo omnibus est observatus ab Opio effectus, obortus vel a solo odorato, eo magis ab ingesto. Epirrhoea, affluxus nempe sanguinis plurimus in Encephalon causa hujus observati est proxima. Demonstrat epirrhoeam hanc facies tumida, rubens, venis turgescentibus, quasi inflammata; oculi protuberantes rubri, scintillantes; tinnitus aurium; labia tumida; capitis, praecipue occipitis ea oppressio, ut vix erecto situ teneri queat; vertigo etc. Maximus subsequitur hic effectus ab Opio venis injecto. Epirrhoeam cephalicam viderunt Mead, Büchner, Catherwood in vasis animalium Opio occisorum; eam insecutus est Berger (§. 4.) in venis substantiae cerebri medullaris in oculi usque fabricam. Sangvinem etenim ad cerebrum copiosum adferri stabilitum, quem unam sextam totius efficere sentit Haller, alii plus, quae quidem in diversis hominibus ad vasorum diametrum, correlationem ad se, irritabilitatem, et crasim sanguinis diversa esse debet. Aliud

huc facit structurae carotidis momentum, quo eam in encephalo parietibus magis obliquis, atque expansibilioribus instructam scimus, ramificationibus pluribus obnoxiam, quod tardioris fluxus et refluxus topici causa existere debet. — Cavendum hac de causa de Opio in Anxietate, Cephalalgia, Agrypnia, gravedine, vertigine ab epirrhoea cephalica, descendentibus.

6. **Opium sequitur hilaritas, gaudium, felicitas, voluptas, animus tandem in audaciam atque temeritatem evectus.** Hilaritatem ab Opio fluere, gradibus diversam, multi narrant Auctores, integrae observarunt et norunt sibi conciliare nationes, inter quas eminent eae, quae Muhamedis asseclae sunt, in Opio vini sibi vetiti adorantes efficaciam. Qui animi sunt sensa, primum videamus: tranquillitas (proxima alioquin aequanimitati, certo et quidem per excessum atque abusum Opii producendae), ac **hilaritas**; hanc jam sua producere voluit compositione Andromachus (Schulz hist. med. p. 616); hanc produci viderunt Alpini, Quef, Freind, Boerhaave, Swieten, Haller, Hecquet; infantum instar gaudere Tralles I. 122, sensum quasi beatitudinis produci Tralles I. 98. Jones, quasi in coelo locatis refert Mead et Hecquet. In se ipsis gra-

tissimum hunc sensum observarunt Moses Charas, Jones, Kaempfer, qui inexplicabile longiusque durans gaudium ab Opio graphice depingit, atque Swieten I. 818, qui a grano causa doloris sufferendi sumto, insomnis licet, felicitatis sensum expertus est; Podagricos Opio linitos sensum hunc conciliari sibi summis promissis a medicis expetunt. — Animum addere videmus in Orientalibus: milites horum Opio ad drachmam, et ultra viritim sumto imperterriti adgrediuntur, ut adeo Opii pretium sub bellis Orientalium augeatur; furore tamen pugnandi pugna protractiore resedente atque in remissionem transeunte; minor tamen Turcis hac aetate Opii est usus ac vulgo creditur, adeo ut infamiae nota sit: Opii liguritorem esse, quique hac de causa plebi, et maxime militi convenit, a quo labores momentosi gratissimo redimuntur Opio. Malaii vindictae inhiantes post Opium comestum vocem Amock clamantes per compita currunt, in quibus obvium quemque pugione confodiunt tremenda audacia, quae nonnisi morte a quocunque inferenda terminatur (Zimmermann Taschenbuch XI. a. 125); stupidum hunc pugnandi furorem sibi Opio conciliant Macassares, Insulae Celebes habitatores. Scite desuper loqui autumo praestantem Spielmann (Inst. M. med. p. 517), dicentem: quod hilaritas et audacia, quas levior ejus quantitas assumta inducere solet,

jam species delirii esse videatur! — Vires cum animo augeri exempla videmus in cursoribus Orientis: Indi inter Surate et Bombay decurrentes Opio stupefacti, subdormientes, oculis licet apertis currunt (Dict. port. de Commerce IV. 60); Turcae cursores fatigati novas ex Opio vires sumunt (ib. 62); Tartari, qui in turcico imperio immensa emetiuntur spatia brevi, Opium secum ferunt forma crustulorum verbis Masch Allah=verbum Dei! inscriptorum (Dallaway Reise p. 100). — E hilaritatis, atque obtusati sensi productis momentis fluit usus Opii, quo Oriens morti destinatos Opio gratiose concesso enecat, quo foeminae Indae rogo mariti demortui cremandae praeparantur, quo monachi turcae, Derwis dicti, diem Jovis sopiti transigunt, quo tandem nostratibus aegri ad operationem chirurgicam gravem disponuntur, consilio tamen non raro praepostero. — Facultates intellectuales intendere scimus Opium, parce sumtum: memoriae dedit Ouwens (in noctium haganarum praef. p. 14), favere contemplationibus nocturnis profundis; exemplo publico recentius e cathedra demonstravit Joannes Brown, Professor medicinae edinensis, qui Laudani liquidi guttis 40 ad 50 Spiritu Sacchari (Rum) admixtis, ante et repetitio sub praelectione haustis, discipulis imaginem sui systematis vivacissimam proposuit.

Ad voluptatem et venerem stimulare Opium fida est observatio. E magna serie tres novi scriptores contrariae opinionis: Willisium Ph. l. 7. c. 2. 190, Renodaeum mat. med. l. 10. c. 2, et Stalpartum van der Wiel Cent. II. obs. 47, qui refert casum viri per Opium evirati; at phoenomenon hoc apparet vel in stadio relaxationis, vel apud opiophagos periodum relaxationis generalis assecutos. Ad venerem enim ciere integrae nationes norunt, et in hunc usum adhibent: sic Japonenses, Chinenses, magis Indae, Persae, Aegyptii et Turcae aphrodisiacum Opium, referentibus Pr. Alpino, Saar (itinerar. Indiae orient.), Cleyer (Eph. N. C. II. X. 35.). Alvares 56, ut plurimum lacti incoctum sumunt, (hist. Portefeuille: Beschreibung von Surinam 1786. St. X. p. 425); foeminas turcicas Opio viros incitare refert Jahn (Mat. med. II. 265), Turcis esse aphrodisiacum refert Linné (Amoen. acad. VIII. 298). Opio ingesto erigi mentulam observatum est: Turcae ad Levenzinum 1664 contra Comitem Lud. Souches pugnantes, Opio exaltati, turpiter caesi et octo mille numero occisi mentulas rigidas tulere, referente Dejean (in Eph. N. Cur. Dec. I. Anno 2. obs. 69. p. 127; et Haller in prael. ad Boerh. IV. 519.); eo erigi et intumescere papillam mammarum refert Linné l. c. Aphrodisiacum esse contra van der Wiel demonstravit Haller et Venette,

prior ex observatis recentioribus; aphrodisiacum enunciant in Eph. N. Cur. Philippus Sachs, Andreas Cleyer, et Joannes Hasenest; assensum praebent Guerin, Carthaeuser, Tralles, Murray; manifesto deprehendi ad venerem excitans observat Baco in historia vitae pag. Op. 526. — Id tamen praestare dosi parva credit Jahn II. 208, contra vero dosi magna ad coitum incapaces reddere recte monet Murray; opiivori dosi consueta in voluptatem feruntur, senes licet, Helwich hist. morb. Wratisl. 1702. p. 79. — Insomnia voluptuosa procurare Orientalibus notum, seminis secretionem augere Geoffroy refert in M. med. II. 695, imo seminis excretionem subsequi observatum est. — Aphrodisiacum adeoque medicis etiam dogmaticis habitum: Opio Ambrae permixto impotentiam virilem sufferre Ettmüller, Sydenhami Laudano Ambrae et Moscho permixto cum Eleosaccharo Citri et Cinamomi Hoffmann (de correct. §. 15.) conati sunt. — Quod exspectari debuit, observatione constabilitum nobis prodidit Garcias ab Horto: Opium non semper ad venerem stimulare, interdum eodem stimulum hunc potius supprimi. At, licet notum sit, aphrodisiaca Opiata ut plurimum mixta esse cum Aromatibus, imo etiam acribus (quo praecipue spectant Ambra copiosior, Cantharides paucissimi), assentiri non possum Garciae ab Horto et Kaempfero, vim hanc a solis aroma-

ticis dependere; plus Opio concedendum teneo, ex observatis rationalibus, et e vi incitante sangvinis, producta epirrhoea cephalica, lusu imaginum phantastico, rubore et pruritu cutis: exaltata nempe generatim functionum scala: facultatibus animi, et vigore corporis; imo cum sensuali nimis homini intensio animi rarius detur, quique utplurimum organisatione et logica grossioribus in cogitationis area impediatur, procreationi physicae potius quam psychicae incumbere exaltatos videmus, ut mente minus genitalibus plus valeant. Alia stimulantia volatilia, quae phantasiam et sangvinem movere novimus, similiter agere omnis credit aetas.

7. Exaltatio functionum gradu majore intensa sistit inebriationem, atque stupefactionem. Haec accidit etiam minus asuetis, et quantitates majores sumentibus: stupefactionem interdum immediate sequi narrant Bergius, La Croix, et Matthaei; potulentiam quasi oriri refert Büchner, Tralles I. p. 101. et Rademacher; vertiginem Schelhammer, Young, Murray, Tralles. I. 101, stupefactioni junctam Matthaei, imo etiam in animalibus refert Lorry (in Journ. encycl.) et Sprögel (exp. 22. 23. 43). At hic effectus iis vini, fumi Nicotianae, cannabis, et acidi carbonici analogus maximum se sistit in Opio.

phagis, quos alit Oriens, muhamedana religione a Vino abhorrentibns. Imaginem horum novimus e Bellonio, Alpino, Kaempfero, Chardin, Reineggs, Tott, Russel, et Dallaway: langventes et laxati titubante incessu lumbos et ilia trahunt, taciturni et stupido torpore obsessi locum occupant; instabiles affirmant et negant, officiis peragendis non idonei, uti Persae plerique Chardinio narrante; quibuscum tractare omnes cavent (Alpini 121, a). „Opium edisti" talibus acclamant orientales vituperantes ingenii labem, quae occidentalibus ab ebrietate venit. Hoc quidem adhuc tempore Turcae frequentant praeter cavenas Opii popinas (Theriaki hanu Dallaway, aut Theriaki tscharkissy secundum Tott), ubi Opium a granis 10 ad 100 edunt, at harum numerus periodice decrescit prouti usus Vini, legi licet adversus, invaluit, referente Dallaway, — Opium volatili principio pollere actuosissimo, Vini instar exposui; idem augere circulationem, sangvinis expansionem, producere epirrhoeam cephalicam fusius narravi: hinc affluxu vasis expansis sensorium comprimere, stupefactionem, vertiginem, ingenium labefactatum, sensum honesti nullum oriri necesse est.

8. Sensum imminuere Opium notissimum est. Actio haec et nervosi systema-

tis sensilitatem, et muscularis irritabilitatem, et organorum secernentium functiones proxime tangit, ut adeo imminutio aut plane defectus functionum: sensuum, motus et secretionum concernentium subsequatur. Sensilitatem interdum plenarie tolli refert Tralles, artuum imminutam post horas duas a sumto Opio narrat Willis et Schelhammer, femoris Young; experimentis scite in animalibus institutis demonstravit Sprögel: canes a drachmis duabus ingestis, aut venae jugulari injectis taciti atque immoti nec verbere, nec vulneribus, nec causticis admotis sensum exhibuerunt; quidam tribus elapsis diebus insensilis perstitit. Rana sensilissimis alioquin nervis instructa insensilis perstitit. Vir a sumtis granis tribus et dimidio visu et auditu solum servato nec acetum acidissimum gustu, nec Ammonium olfactu percepit. L e n i r e O p i u m a t q u e s e d a r e per Secula creditum est, quod originarie fieri recentior negavit Brown: A n o d y n a esse, quae sensum non dolorem, auferunt, sententia est Caelii Aureliani (morb. chr. l. 2. c. 4. p. 373); quae causam dolorum tollunt et sensilitatem minuunt sentiente Swietenio I. 323. Subdividuntur in p a r e g o r i c a, quae hypererethismum minuunt, atque hinc abnormem motum musculorum, atque vasorum; h y p n o t i c a, dum somnum excitant; et n a r c o t i c a seu stupefacientia, quae sensorii sensum imminuunt,

quod in plurimis aucta praevie vitalitate contingit, excepto unico Acido prussico. Inter anodyna Opium praevalet, hyperaesthesi originarie deprimendae, nulli alteri comparabile: dolores minuendo, tollendo, imo in gratum sensum vertendo. Actionem anodynam mox exserere notum est: Opium in ventriculo canis iam ab eodem convulsi repertum testatur id non indigere via per vasa lymphatica longa (Boerhaave praelect. Acad. in Inst. V. 173); exactius tamen Nysteni experimentum, quo cani, praescisso utrinque nervo vago, post symptomata originaria cessantia, ab Opio intoxicationi sufficiente mors consveta post duas accidit horas, contrarium docere videtur. — Qua ratione sensus phoenomena talia sistat Opium, non liquet, cum causa aestheseos proxima lateat.

9. Motum Opio minui, supprimi omnes uno consentiunt ore, cum irritabilitas fibrarum muscularium minuatur. Actio haec normaliter exaltationem praeviam sequitur; at exempla indubia eandem etiam primariae originis esse adstruunt, licet rarius: talem Hartmann in se ipso expertus est (Pharmacol. dynam. II. p. 185). Relaxationem musculorum maxime persentiscit sexus sequior, licet etiam fortibus contingat (Tralles I. 107). Nec doseos magnae effectus dicendus est, cum

ab Opio vix dum ventriculi parietes attingente oriatur! Tarditatem observavit Murray (II. 282), debilitatem femorum Young, tantam, ut nec trusi incedant, Schelhammer; universalem plurimi observatores: Willis, Chardin, Berget, Hoffmann (Med. rat. II. 270 et de Oper. Opii pag. 8), Clarok, Bergius, Murray (II. 285), Tralles, Reineggs, Matthaei; casum refert Matthaei, quo aeger in glomerem devoluto ad pedes corpore convolutus apparuit! Opiophagorum incessum titubantem vidit Schellhammer, Thomson, Reineggs, Grimm, Spasmo corpus rigidum referunt Pyl, et Muzell, Opisthotono Stenzel (de venenis I. §. 46), Juncker, et Aepli; paralyticum Freind (c. 14. Emmenologia), Opiophagorum Baglivi Prax. Med. I. p. 65, convulsionibus exagitata brachia Rademacher et Matthaei, humeros Matthaei; hisce mors ut plurimum ab Opio intoxicante: quam convulsivam refert Juncker, Aepli, Schweikert, et Swieten I. 372, epilepticam Stenzel, et Muzell. — Imo solo halitu attracta Opii effluvia mobilitatem minuere notum est, uti Opiificibus et mercatoribus praecoce senio contabescentibus (Plutarchus in symposio et Diodorus Siculus hist. l. 3), omnium maxime vero Opiophagis contingit, cujus exempla supra retuli. — Similiter et in animalia saevit Opium: canes ab exhibito mox tremere, dein obrigescere, femoribus incurvatis vidit solertissimus Sproegel, adeo, ut

nec movere se, nec pedibus insistere potuerint.

10. **Somnus ab Opio notissimus.** E Papavere somnifero fluere novimus Opium plurimis retro Seculis vix nonnisi somniferum creditum: vim Opio somniferam adscribit Helmontius (tr. natura contrariorum nescia §. 37), Alexandri Macedonum regis methodum secutus, nodum gordium transscindentis. — Somnum saepe, at imo vigilias rarius producere observatum est. Ebrietatem atque stupiditatem sistere supra dixi; somnolentos scimus Opiophagos, somnolentiam Opio causari narrat Bergius, Matthaei, Rademacher, stupefactione comitatam Riedlin, Stalpart van der Wiel (Cent. 2. obs. 42), Freind, La Croix, carphologia comitatam Rademacher. — Somnum excitari observarunt Schelhammer, Riedlin, Büchner, Sauvages, Bergius; at hunc morbidum esse dicit Tralles I. 112, non reficientem Young et Grimm, sudore universali stipatum observavit Grimm. Eundem a dosi majore oriri plurimi addunt! Insomniis is comes est saepissime secundum Tralles I. 120, 121, 282, Lindenstolpe de venenis c. 10. thes. 75, ut plurimum ingratis ex observatione Ruef, Belon, Schelhammer, Hoffmann, Young, Grimm, saepe cum phantasmatum formis atque terriculamentis exhi-

bitis, Sceletis utpote, Lemuribus, Draconibus (Tralles I. 125). Altior hujus Somni gradus est Stupefactio, sopor, stertor, apoplexia: stupefactionem observavit Riedlin, aliique (vide §-i 8-vi numerum septimum), stertorem La Croix; refert apoplexiam convulsionibus stipatam Murray; apoplectica tandem est mors Opio intoxicatorum! — Post somnum sequitur debilitas magna e Young, impotentia e Wiel, balbuties e Plater I. p. 127, stupiditas, et status delirus e Riedlin obs. 30, Tralles I. 282, Boerhaave praelect. VI. 519, Freind Emmenologia c. 14. p. 140.

Somnus ab Opii odore solo interdum observatus, referentibus Plutarcho, Dioscoride, et Boerhaavio, quod ab aliis etiam narcoticis effectum vidimus, uti Hyoscyamo, Croco aliisque; a quantitatibus majoribus oriri somnum supra dixi. Quo scopo dandum Opium observatio jubet aliquot ante somni consveti tempus horis, cum effectus hic tardior, secundarius sit relaxationis, quod primus fide observavit atque defixit summus Sydenham.

Canibus plane somnum produxisse constat e Sproegel, et Bartholino Cent. IV. Ep. 92.

At Opium non somniferum aliis in casibus observatum est. Riedlin a dosi minore somnum, a majore nullum vidit (Lin. med.

obs. 25. Anno 1697), Swieten a sumto Opio agrypnicus hilaris pernoctabat. Comm. I. p. 818, agrypnica femina Zimmermanno visa Opio insomnis, a Coffeae concentratiore infuso somnum experta. Justa adeoque est Jonesii decisio, etiam Willisio ph. rat. I. 7. 21 Geoffroyo l. c. 696, Gortero I. 21. med. dogm. aliisque nota: Opium non esse, nisi relative somniferum. Prouti enim paucius Opium non semper stimulans, eadem ratione copiosius non semper somniferum: si reactio morbosa non sufferatur, si imminutio irritabilitatis et sensilitatis non adaequata. Somnum enim vulgarem produci ab aesthesi imminuta, seu irritabilitate indirecta notum est, quem effectum proximum cum Opium sistat, etiam somnum eadem de causa producere cogitabimus.

11. Excretiones Opio supprimuntur omnes, praeter eam sudoris; addit tamen Linné (Amoen. acad. VIII. p. 298) eam lactis, menstruorum et lochiorum. Opii vim diaphoreticam Ettmüller propria exposuit dissertatione, copiose Wedel; utrisque accedunt Pitcairn, Willis, Geoffroy, Hecquet, Haller, Thomson, Freind, Berger, Büchner; interdum tamen Young cutim siccam, interdum sudorem lenem observavit; hic adeoque auctor distingvit; unicus negat hanc efficaciam Zencker. Copiosum obor-

tum viderunt Tralles I. 132. 134, Wedel, Haller, Matthaei; post duodecim a sumto Opio horas ingruentem Vicat (pl. venenenses de la Suisse); universalem Grimm, et Matthaei post octo horas obortum, cum pulsu pleno, duro atque siti magna, cum somno pacato, cum sensuum externorum insensilitate, cum pruritu cutis et exanthematibus obortis Murray; ab Opio matronae spasmis correptae, parce exhibito, et viro robusto colica divexato sudorem copiosissimum Tralles observavit. Sudorem ab Opio destillare narrat Nicander (Alexipharmacorum t. 15), saepe odore Opii: toto corpore Opii odorem expandi Dioscoridis (l. 6. c. 17) observatio est. — Opium quidem dosi majore facilius sudoriferum esse observatores referunt, praecipue sudoriferis aliis junctum, uti stibiatis, ammoniacalibus, Castoreo, Camphorae, Ipecacuanhae e Donaldo Monro Arzneimittellehre II. 138, quae pro se iterum minus agunt, ut Gorteri observatio exponit (de perspiratione insensibili Patavii 1755. p. 206): Opium nisi admisceatur diaphoreticis, nulla sequitur quandoque sudoris vel perspirabilis expulsio. Hinc mixta antiquorum Opiata: Theriaca atque Diascordium sudorifera credebantur; hinc Sydenham in variolis post quintam usque sextam diem Opium exhibuit, perspirationis augendae ergo, adprobante consilium Gortero l. c. p. 206. — Pruritum cutis simul oriri,

tantum quidem, ut e somno excitet, refert Dioscorides IV. c. 65; hunc saepe observavit Willis Ph. rat. 160, universalem plane Schelhammer, Berger, Freind, Geoffroy, Hecquet, Tralles I. p. 137, — Exanthemata simul cum sudore erumpere refert Murray, puellae hystericae obortam post sudorem Scarlatinam copiosam refert Tralles, miliaria erupta idem I. 138. 139; maculas rubras Matthaei, coeruleas post quindecim horas erumpentes historia acad. Scientiarum gallicae Anno 1735, pustulas Opiivororum referunt Hecquet et Matthaei.

Excretiones tamen caeterae supprimuntur, ita quidem ut secretionibus succedentibus nulla fiat eliminatio secreti. Cum hanc distinctionem Tralles non fecerit, hinc excretiones et secretiones impediri Opio alii putarunt. Ut vero rem exactius exponam, ab effectu Opii proximiore mihi ordiendum esse censeo. Ab transpiratione aucta caeteras excretiones supprimi autumant Freind et Thomson; at secretionibus (uti mox videbitur) persistentibus quaeritur, cur secretorum non fiat excretio? Insuper certum licet sit, excretiones sibi invicem vicarias esse, tamen observatio theoriae huic repugnans est: excretiones caeteras imminui antea, quam sudor inchoët. A compressione organorum secernentium per vasa sangvifera expansa secretio-

tiones minui statuit mechanicus Pitcairn (l. c. §. 13) atque assentitur Geoffroy (Mat. med. II. p. 700): at cur non etiam capillaria cutis perspirantia? — Circulatione ab Opio aucta, calore increscente, sangvine expanso omnes generatim secretiones augeri debent, quod etiam observatio docet; verum ideo non aeque excretiones seu secretorum eliminationes augeri necesse, cum hae aliis pareant legibus, alteri subjaceant vi, generatim forte musculari, certo quidem systemati Organismi irritabili, atque contractili. Hujus autem actionem Opio minui novimus, hinc secreta pulmonum, intestinorum, hepatis, renum etiam retineri perspicio: hinc pulmonum mucus secretione adauctus, resorptione rarioris condensatus dispnoeam praevie obortam secundario adauget, hinc foeces intestinales induratae retinentur; bilis atque urina spissior non in duodenum, non ad matulam evacuantur — paralysi organorum excernentium. Aliud phaenomenon, quod empirici, in disjectis collectivum non perspicientes principium, oppositum alteri autumant, videmus, cum ab irritatione nimia, a spasmo contracta organa excretoria Opio laxantur, atque excretiones majores solitis promunt: hoc Boerhaave lucide perspexit, cum ab Opio fluxiones alias sistente eas augeri exspectat relaxatis (ab irritatione abnormi) viis. Pectoris excretio minuitur e Thomson (p. 139); minui quidem

eandem, at a spasmo aut dolore suppressam aperiri et promoveri praestans Mat. med. practicae auctor (Jahn II. 207) asserit, prouti etiam Matthaei tussim muci copiosi, imo sangvinolenti observavit. Catarrhales ad pulmones, os et nares affluxus minuuntur; imo etiam purulentae, adeo ut Rolfink (Chym. p. 247) phthisicis exhiberi vetet Opium, timore suffocationis oboriundae in aegris, qui unum adhuc alterumve diem supervivere possent. Lactis effluxum Opio non impediri, sed intendi, omnibus jam esse notissimum asserit Linné (Amoen. Acad. VIII. 298). Bilis secretio (qua Carbonacei) augetur Opio, licet excretio supprimatur (Jahn II. 207): ductus choledochos in animalibus Opio vescentibus plenos, at foeces alvinas vix coloratas, uti ictericorum, vidit Sproegel. Alvum Opio constipari notissimum est, quod ab intestinorum paresi, paralysi producta sequi debet. Abdomen sic viribus laxatum fieri meteoricum referunt Tralles I. 142 et La Croix, flatulentum Tralles I. 142. 148, Murray et Reineggs, laborare sensu oppressionis Büttner (von der Tödtlichkeit der Wunden p. 224), dolere Matthaei; obstipatum fieri ut plurimum Tralles I. 144. 145, Pyl, Waldschmidt, Willis, Ettmüller, Hoffmann, Thomson, Young, Swieten, Crumpe p. 21; obstipationem per dies decem usque ad mortem perstantem observavit Pyl, per menses plures

durantem in puella hysterica enarrat Tralles, vix curabilem Waldschmidt p. 17, qui usum ejusdem hac de causa multum constringit. Ruysch sub usu Opii per hebdomadem semel alvum deposuit (Schreiber in vita). Hac efficacia salutare compertum est Opium in fluxionibus alvi abnormibus, dysenteriis, diarrhoeis, hypercatharsibus, si dato praevie purgante stimulans intestinorum ablatum sit, motus vero eorundem abnormiter auctus perstet; hoc enim motum inordinatum compescit (non vero constringendo intestina, non foeces densando agit). — Rarius tamen oppositum huic praestat effectum, alvum solvendo, imo Diarrhoeam causando e Murray (non vero semper constipat ad mentem Jahnii): Opium rariore casu purgare observavit Wedel opiol. 52. 147, et Donaldus Monro (Arzneimittell. II. 178), Diarrhoeam secundario causare notat Hamberger §. 15. et Bauer in Eph. N. C. II. obs. 94, aquosam foetidissimam vidit Grimm, spumosam cum tenesmo idem, imo dolore quasi ad partum stipatam Tralles. Papaver sylvestre purgare refert Plinius 20. c. 9. sicuti etiam Opium post oleum narcoticum separatum (Quercetanus de Medic. prisc. p. 79); et Rolfink observat (Chym. p. 248), crebram experientiam docuisse, circa noctis horam nonam exhibitum Opiatum Laudanum ad grana 2—3 mane alvi fluxum et

vomitum insequutum. Alvum solvit Opium seu suppressam relaxat, ortam a spasmis, a motu peristaltico inordinato, dolore colico (in quo purgantia interdum frustra adhibentur, aut constipationem plane augent). Patet ex dictis veritas asserti Gorteriani: lienteriam e defectu absorptionis per vasa lactea non auscultare hypnoticis (Comm. ad aph. Sanct. de persp. insens. 398. p. 263), cujus ejusdem auctoris verba concludant momentum hocce: Opium valere in alio fluxu aut constipatione, mensium profluvio et suppressione, prouti etiam partum motu abnormi periculosum facilitat (l. c.). — Urinae excretionem impediri aeque constat, licet eam non impeti dicat Jahn. Urinam paucam cum dolore excerni refert Matthaei, nullam plane idem, et Ettmüller §. 3. 4. Pitcairn de circulatione §. 13, Murray et Schröder thes. pharm. p. 738; augeri excretionem referunt Willis, et Berger §. 2; interdum augeri, interdum supprimi asserit Geoffroy. Litem componit Physiologia, imo et empyricorum experimenta: Sprögel enim a scrupulis Opii duobus urinam per duas retineri dies, a drachmis duabus in canibus per tres dies retineri vidit! Sectio monstravit duo momenta observationis: vesicam urina plenam! atque expansam, acido nitrico affuso parum se contrahentem; non adeoque renes defuere officio urinam secernendi, at defuit vesica officio excernendi. Conclusionem: mo-

bilitatem vesicae urinariae peristalticam imminutam fuisse Sprögelii Haller jam exinde deduxit (de partibus corporis sensibil. et irritabilibus Sect. 2.). Et sic se habere, tam Opii vis, systema irritabile et contractile laxans, demonstrat, quam confirmat experientia Boerhavii, qui ureterem interdum Opio adeo relaxari, expandique observavit, ut calculus renum pertransire possit. Lite sic composita adprobabimus data conditione (spastica) consilium Ettmülleri: Opium valere in Diabete, nec immemores rejiciemus observatum Bartholini: Opium valuisse in hydrope.

12. Ventriculi functionem minui Opio tandem videamus. Calore quidem, circulatione sangvinis, humorum secretorum copia auctis digestionis phaenomenon augeri deberet, at obest effectus Opii in systema irritabile, et contractile unicus, sufficiens quidem: toni ejusdem contractilitatis et motus imminutio, cui forte nervorum ventriculi affectio, necdum explicanda accedet. Incassum id explicare conatur Freind (Emmenol. paris. Ed. p. 88) a ventriculi arteriis dilatatis ob sangvinem expansum. Oppletionem ventriculi observavit Joerdens, a dosi majore mox sensum ponderis Willis (de anima brutorum p. 163), oppressionem dein inflationem idem (p. 237). Dolorem illico obor-

tum Willis, et Hoffmann (de corr. §. 16), intolerabilem Willis, usque in anxietatem Ettmüller §. 2. 3. fere agonisticam, si mox a prandio sumatur Young, constringentem idem. — Appetitum deleri scivit Celsus (L. 3. c. 18. L. 5. c. 25.), Willis, Ettmüller, Helmont, Rolfink, Wedel, Waldschmidt, Bohn, Hoffmann, Freind, Geoffroy, Haller. Praecipue effectus hic fluit e dosi majore Opii secundum Willis et Reineggs, longius durans in feminis hystericis cum nausea, in aliis cum meteorico abdomine atque flatulentia conjunctus. Nauseam maxime contra carnes observavit Matthaei. Experimenta in animalibus capta lucem affuderunt plurimam. Cani per nycthemerum jejuno, Opii drachma exhibita, nec cibus nec potus arrisit apud Sproegel; alter a drachmis duabus exhibitis per quatuor dies jejunus perstitit. Idem fuit effectus ab Opio venae jugulari injecto. Vivisectio talium animalium omnino sublatum motum peristalticum tubi intestinalis docuit apud Haller, et Sproegel, eundem etiam erga acidum nitrosum fumans insensilem apud eosdem; ventriculum aëre plenum expansissimum observavit Mead et Lorry, expansum in equis Opio usis atque latissimum Viborg (Sammlung von Abh. für Thierärzte). — Opii hunc effectum quidem mox apparere notum est, at observatum huc alterum referri debet, quo constat, Opium forma solida (pulveris,

imo maxime pilulae) exhibitum, tardiore ac successiva solutione effectum hunc majorem exserere praecipue e Wedel (a successiva Opii volatilium partium evolutione ex mente Hoffmanni). Nunc causat ructus observante Grimm, vomituritiones Matthaei, saepius emesim secundum Waldschmidt et Wedel, continuam secundum Pyl, viridis materiae e La Croix; et iterum cum irrito vomendi conatu e Matthaei. E contra insensilitas erga emetica observabatur referente Murray. — Deleti tamen appetitus causam dosim majorem esse adnotant Willis, Reineggs, Bergius, Murray, Matthaei; et Crumpe dosi soli adscribit p. 21 seq. prouti observavimus in Opiophagis tandem causari ventriculi debilitatem secundum Willis, Ettmüller §. 2. 3. Geoffroy Mat. med. II. et Halleri praelectiones IV. 519. — At buliniam ab Opio ortam alii referunt! Kaempfer et Mauchart in se ipsis experti: hic cum intumescentia ventriculi post esum, cum debilitate magna Ward, cum nausea Grimm. Si nempe tonus motusque ventriculi moderate sumto Opio non minuatur, id exspectatum perspectumque habetur phaenomenon; novimus insuper miscelas Orientalium opiatas aromaticis lenibus gratisque, qualibus Kaempfer usus, tono consulere ventriculi, atque sic Opii effectum quemdam supprimere, aut mutare posse autumamus.

§. 9.

E perspectis effectibus proximis, quos in morbis hinc illinc producere finis est medici, formabitur Opii indicatio atque contraindicatio, quae simul sumtae Opii constituunt usum medicum: Opiojatriken. — Momentosa certo et res plena laboris est dissertatio de indicatione atque contraindicatione Opii, imo plena periculi, cum agens sit vitalitatem augens, mox minuens, imo eandem plurimam oliorsum dirigens. Indicatio Opii quidem limitibus justis breviter circumscribenda multam tamen analysim requirit specialem, ut juste et caute simul exhiberi queat. Summa hic principia necdum conspiciemus, cum Opio in systema nervosum praecipue agente hujus systematis functionem cognoscere deberemus, ut Opii ultimos penitiores effectus atque hinc indicationem summam explicare possemus; a quo procul nos abesse potius fatear, quam hypothesibus ad fucum splendentibus, verbisque sonoris — de homine lunari Diogenis disseram. Voigtel praestans Materiae medicae scriptor (II, 2. 270.), Opium generatim valere in functione et adeo mixtione nervorum atque Sensorii abnormi, deque hac ultima multa facit verba! quibus Sensa talis Hypotheseos innituntur. Ego quidem mixtionem talem abnormem

nervorum et cerebri aliis auctoribus relinquendo patentiores peto conspectus.

Opium generatim convenit sensilitati aut stimulo nimiis.

a) Sensilitati nimiae deprimendae minuendae ergo valet apud sensiliores: puta foeminas, praecipue gravidas, parturientes, puerperas, hystericas; viros melancholicos. Sensilitatis nimiae sequela proxima dolor, aut motus, absente licet irritamento locali, nimius hancce petunt medelam. Huc spectant laesiones externae majores, vulnera, fracturae; huc dolores a calculo, colici; huc spasmi in febribus intermittentibus, soporosis, a spasmis orti aut iis comitati morbi: hydrops, amenorrhoea, tussis, variolae. Antagonisticam interdum vitalitatem excitabit melancholicis, hystericis (Hartmann Mat. med. II. 177).

b) Stimulo nimio sufferendo innitetur Opium in morbis a suppresso perspirabili: exanthematibus, rheumatismo, arthritide; in cutanea variolarum genesi et evolutione; muco aëreas vias vellicante in tussi, stimulo locali inflammationes topicas continuante post evacuationes viarum primarum et secundarum;

fibra adhuc vibrante, convulsa, debilitate, doloribus magnis, anomalis systematis nervosi motibus. Tam titulo stimuli, quam sensilitatis praecipue nimiae evacuationes nimiae non criticae, continuantes, exhaurientes Opium sibi petunt. Ad hos fere titulos summus Sydenham repetito indicationem reduxit, dicendo (Op. II. 297. 372): Opium tribus affectibus convenire: doloribus, ataxiis Spirituum, et evacuationibus intestinalibus, quae vir acutissimus speciatim exponit ad data experientiae, qua is Opium copiose, cordate et primus, ut ita dicam, sagaciter exhibuit.

Indicationum momenta sequentia Opium concernunt: 1.) Convenit Opium spasmis et doloribus. Spasmi quidem, et convulsiones primum hoc inter antispastica agnoscunt remedium, sive a pura nevrosi (sensibilitate nempe nimia), sive ab irritamento materiali, non tamen ante exhaustionem vitalitatis auferendo, derivent. Hunc statum comitantur inquietudo, anxietas, motus apricae causae non respondentes, nimii, urina copiosa pallida, aut nulla, stricturae sphincterum. Doloribus Opium conveniet, omni tempore anodynum, leniens visum; tranquilla medicina Galeno dictum; hos quidem originarie supprimet a pura sensilitate exuberante ortos, aut a

stimulo necdum epirrhoeam majorem, Synochamve causante productos; si vero hic obortus fuerit status post praegressas sangvinis missiones in auxilium vocabitur. — 2.) Vitalitas depressa a deficiente cerebri cum vasis commercio hanc requirit medelam; incitabilitas imminuta, asthenia indirecta aequilibrium Opio petet restitui. Initio leviorum inflammationum, incitabilitate mitioribus stimulis imminuta: pulsu duro, contracto, duriusculo, cuti pallida, frigida, sudore frigido tenaci, extremis frigidis, facie pallida, aut persistente, oculis saporeque vix mutatis, lingua pura. Valet hic Opium, maxime junctum fixioribus, uti Cinchonae (Frank AML. 168). — Verum etiam in inflammationibus activis post venaesectiones valebit, praecipue tussi, dolore, spasmo, agrypnia praesentibus, junctumque Mercurio dulci. — 3.) Indicatur Opium in evacuationibus nimiis, abnormibus secundaria sua actione: in Diarrhoea, Dysenteria, Hyperemesi, Cholera, Haemorrhagiis. Hae saepe a sensilitate nimia, ab organorum se- et excernentium mobilitate nimia productae Opio infringuntur, aut ante, si purae fuerint, aut post evacuationes artificiales, si heterogeneo stimulante comitatae fuerint. Voigtelii sensa sunt (II, 2. 282): evacuationes omnes non criticas, non a sordibus, non inflammationi junctas, adeoque ab irritabilitate tubi intestinalis aucta, a refrigera-

tione Opium petere, quod gummi et aromatibus lenibus junctum, in — et externe exhibendum est. Indicatur quoque evacuationibus per spasmos retentis: uti mensibus, colica flatulenta etc. (Voigtel II. 2. 274).

Contraindicationum momenta plura primus exactius digessit atque statuit Georgius Young (a treatise on Opium, founded upon practical observations. London 1753). Sequentia potiora sunt: 1). Vitalitate aucta praesente nocet Opium: Hypersthenia nempe, incitatio aucta, diathesis pure phlogistica, plethora, febris inflammatoria intensior Opium contraindicant; ubi venaesectio primarium est remedium, Opium non valere dixit Young. In Synocha nempe evoluta Systematis haematophori actio deprimenda, quam Opium potius exaltaret. Hypersthenia tamen leniori, aut incipienti Opium, quo impetus adhuc compesci posset, convenire bene judicat Hartmann (Pharm. II. 177). Evolutae hyperstheniae signa videas: corpus robustum, succiplenum, plethoricum; cutim calidam, rubram, humidulam, epirrhoeam cephalicam: facie rubra, tumida, oculis splendicantibus aut somnolentia expressam; pulmones oppletos, respirationem calidam, dyspnoeam. Hic Opio nullum esse locum aevi omnis observata docuere, et Opii cognitio docet. Obesse in

inflammationibus, in quibus sudores non producit, observat Cullen; in Agrypnia, et Cephalalgia febrili ut plurimum contraindicari observatur. — 2). Vitalitate systematis nervosi depressissima, paralysi adproximante. Hanc dijudicat medicus e motuum vitalium et animalium ordine atque gradu, praecipue vero respiratione ac pulsu. Statum hunc insensilitatis sensuum, soporositatis, vertiginis, delirii taciti, apoplectici torporis sistunt phaenomena, quae febribus malignis saepe adveniunt. Huc systematis irritabilis, et contractilis debilitatio accedit: in debilitate enim musculari magna non juvabit Opium, nec prolibus nisi in summo periculo dandum, nec gravidis nisi caute! Huc spectat status ventriculi tubique intestinalis atonus, quem digestio designat tarda, pauca, debilis, cum evacuationibus alvi tardis, siccisque (Jahn M. med. II. 211). Huc tandem pronitas in liquationem, in profluvia cruenta, uti maxime in sudores copiosos, in putredinem, in haemorrhagias (idem l. c). — 3). Absit Opium morbo judicato, seu crisi praesente, cum excretiones impediat, excepta sudoris. Absit adeoque comparentibus sputis copiosis crassis (Willis Ph. 178), diarrhoea, praecipue infantum sub eruptione dentium, urina spissa, maxime si cum levamine ingruant. Quidam in acutis morbis plurimis

obesse Opium autumant ea, de causa, cum delassatio subsequa vires pro crisi necessarias impediat, quae tamen a dosi justa tanta non est, ut timorem tantum incutiat. — 4). Absit tandem Opium stimulis materialibus nimiis praesentibus, dicta de causa: in statu gastrico, sordibus tubi intestinalis retentis, acribus, abdomine longius obstipato, visceribus abdominalibus infarctis (nisi id spasmo fieri contingeret). In ictero generatim contraindicatum esse statuit Jahn (II. 247.), eam ob causam cum Opium Carbonii copiam in corpore animali vivo augeat (?.)

Series objecti ad formas morborum speciales quibus Opium convenit, jam descendere jubet, quas serie Classium communius in usum vocatarum exponam.

1.) Febribus intermittentibus convenire Opium jam veneranda novit antiquitas. Ad quartanas curandas soporem inferens medicamentum, e semine Hyoscyami, radice Mandragorae, Silphio et Trifolio paratum, laudavit Hippocrates (de morbis l. c. sect. 2.), quod consilium secuti Trallianus (12. c. 8.) in iisdem commendavit Antidotos magnas, quae Opio et Hyoscyamo constant, et Galenus (de ratione febres curandi c. 2. et

Libro de Theriaca c. 15) quartanae paroxysmum impediri scribit Theriaca. Recentiores plures Opio intermittentes debellarunt, inter quos plurimum meruit Anglus Lind, qui in omnibus non inflammatoriis, non gastricis febribus, ad nevroses pronis valere observavit. Quibus convenit febribus, hae decurrunt cum frigore forti, rigiditatem inferente, nec proportionato calore; pulsu parvo, tremulo, celeri, contracto (fere eodem sub et extra paroxysmum), in aegro debili, sensilissimo, ad deliquia prono, moesto, soporoso; urina tenui, pallida, sudore pauco vel nullo; ventriculo debili, appetitu deleto, emesi; lingva pura, humida, tremula; viribus mox ab initio dejectis, prostratis. — Si his accedant paroxysmi subintrantes, adeo, ut Chinae tempus vix sufficiat dandae, sensoriique affectio apertam ostendat nevrosim, tunc plurimum indicatum est Opium, quod febribus his intermittentibus nervosis, soporosis et mortalibus Werlhofii (Todtenfieber), Tortique, quae saepe secundo, tertiove insultu occidere solent, plurimum conveniet. Has saepe oboriri ab affectibus: ira, terrore, metu, nausea, aut ab evacuationibus nimiis observatum est. Valebit tandem in intermittentibus Opium, dum Cinchonae cortex non perfertur, emesique aut alvo mox rejicitur. Febres has intermittentes nervosas primus systematice rationaliter pertractavit Opio Hoffmann (magis quidem, ac

magni ante eum practici Wedel, Ettmüller, Boerhaave, qui raro remedium hocce adhibuerunt): dedit autem vir sagax et felix ad semel Laudani liquidi guttas 95, quo insultum omnem subegit; idem in soporosa intermittente exhibuit illico guttas 50 pro dosi, et desuper Aetheris sulphurici guttas 10, ante insultum; intercalari vero tempore Cinchonam. Nervosis intermittentibus debellandis jam olim adhibitum Opium, praecipue in hystericis, hypochondriacis, ad spasmos inclinantibus, sensibilioribus Chinam rejicientibus, in intermittentibus malignis periculosissimis, ubi magna dosi exhibendum, Aetheri atque Moscho jungendum esse exponit Berryat; praestantissime in statu minus nervoso Cinchonae jungi plures observarunt, interque hos Tralles. — At recentiores Opio etiam vulgares intermittentes debellare satagunt, praecipue a Brownio incitati Auctores: Weikard, Frank, Murray, aliique; at Thomannio nulla intermittens Opio solo, nec copiose exhibito curata, sufferebatur Cinchona in apyrexia, Opio proxime ante insultum dato; idem observavit Jahn (II. 218). Plurimi ante insultum Opii vim tentarunt: Weikard ante insultum aegris decumbentibus, datis 20 guttis Laudani liquidi, febres intermittentes inveteratas abstulit; paroxysmus brevior, sudor copiosior medelam tulit illico aut altera vice. Ante insultum hora integra vel dimidia Jahn exhibuit Opium, in

in theatu Cinnamomi aquoso vino admixto, omni hora usque ad initium caloris; vim ejusdem intendit Valeriana et Aethere; extra vero paroxysmum exhibuit Cinchonam, penitus ad methodum Hoffmanni, qua plurimas intermittentes aut sanavit, aut leniores reddidit, praecipue quoad frigoris symptoma (Jahn II. 218). Pauci etiam bonum effectum frigore jam oborto observarunt. — Calore febrili durante per mediam horam maxime valere Opium asserit Lind, omnique media hora dandum, quo calorem et cephalalgiam tolli, moxque sudorem procurari, et somnum subsequi observat; huic adstipulatur Cullen. Eodem in stadio valere asserit Guarene (in Römer Ann. der AML. I. Stück 2.) pro symptomatum lenimine, atque paroxysmo abbreviando. Lindii observata suis auxit Hegewisch (in Hufeland et Himly Journal 1809. Stück 10). Nec solum calorem et cephalalgiam, sed imo deliria, sitimque minuere, minusque pro cura perficienda Cinchonae pondus requiri, nec subsequae obstructionis aut hydropis phaenomenon accedere asserit Pharmacopoeae edinburgensis commentarius (Neues edinb. Dispens. I. 452). — In intermissione raro datur; at Opium tunc exhibuit in intermittenti americana Jackson cum Serpentaria, antimonialibus, imo cum Cinchona et Ferro, cum pulsus parvus durus, vel minimus, cum cutis sicca vel sudore tenaci oblinita, vel dum

nervositas adfuit. Observatio quidem docuit, illud exhibitum mitigare, abbreviare sequentem paroxysmum; cum tamen Opii sit, epirrhoeam cephalicam producere, cavendum esse ab eo exhibendo, dum epirrhoeae tales periculosae fieri possent, suadet Jahn (II. 218). Aliam timuit sequelam Opii dati Störck: obstructionem, inflammationem, soporem; nervosis quidem symptomatibus praesentibus Opio usus felicius se Cinchonae uncia una febres intermittentes curasse narrat. Tandem Donaldus Monro (in M. med. II. 177.) agrypniam in febrium intermittentium fine praesentem Opio bene sufferri, et in febribus pertinacibus, quae cortici peruviano resistunt, non spernendum esse remedium Opii extractum observat Hermann (Cynos. M. med. I. 630).

2. Febribus gastricis, inflammatoriisque generatim Opium non convenit: gastricis, biliosis etc. nonnisi post evacuationes requisitas, sufficienter procuratas, nervosis vero oborientibus symptomatibus: cuti sicca, arida, tussi, dyspnoea etc Hopfengaertner prodesse notat. Inflammatoriis febribus decurrentibus absit Opium: Synocha enim pura, cum epirrhoea, delirio primum debellationem requirit irritationis excedentis: venaesectione, evacuatione primarum viarum, nitro, frigore; his praestitis Opio locus esse po-

test, si systema sensile adhuc affectum videtur; aut pulsu adhuc duro, celerique perstante, spastico, contracto, cuti arida, lingva spurca, urina turbida, encephalo affecto (Jahn II. 224); aut pulsu evadente molli, tardo, cuti humidula, lingva puriore, urina limpidiore, sensilitate tamen excedente, unde dolor, inquies, agrypnia accedunt. Si febris inflammatoria a perspirabili suppresso originem traxit, Opium valere judicant Auctores Commentarii Pharmacopoeae Austriacae (Erl. öster. Pharm. I. 348), dosi pro perspiratione augenda; quod tamen consilium initio febris talis lenioris ad rem esse videtur.

3. In typho recentiores primum ausi Opium adhibere, interque hos eminentiores Campbell et Jackson. Timuit enim aetas medicorum transactorum Opii in typho vim quam redissolutoriam alii, alii rectius epirrhoeicam et obstipantem credidere; hinc Jahn solum in febribus nervosis puris adhiberi svadet, dum abest epirrhoea cephalica et orgasmus; in febribus nervosis Opiata fortiora valde esse pernitiosa, licet agrypnia et inquies ea postulare videantur, observat Huxham (Op. II. 84). Campbell hicce campum aperuit, Opium exhibendum svadens, nec a contraindicationibus timendum, dum affectio sensorii spastica, dum cerebrum affectum id expetunt;

hunc audaces ut plurimum Angli secuti, atque caterva Brownianorum, indirectam debilitatem sic debellare conantium. Opium in typho valet, dum cerebrum sensilitatis auctae signa prodit, dum nervosi systematis spastica affectio dominatur. Ea quidem se pandit inquietudine, voluntate surgendi, agrypnia, delirio hilari (leni, sine epirrhoea Jahn) cum loquacitate, oculis scintillantibus (Voigtel II. 2. p. 272), aut spasmis, doloribus, subsultu tendinum, artuum frigore, tremore, organis sensuum externorum sensilibus: photophobia, oculis torvis, opacis, facie collapsa, distenta, cuti arida, urina pallida, pellucida; imo emesi, aut diarrhoea; pulsu inter haec cito, parvo, spastice contracto (Richter. Voigtel. II. 2. p. 272. Jahn II. 222.). Kortum d e l i r i u m f e r o x eum vocat statum, quem depingit inquies, delirium continuum loquax, clamorosum, cantus, voluntas discedendi, facies iracunda, oculi scintillantes, pulsus durus tensissimus, cutis et lingva siccae, urina tenuis, limpida, atque subsultus tendinum (hunc tamen Jahn non satis circumscripta imagine descriptum asserit!); eum post sublatam plethoram atque primas vias, Kortum adgreditur, dumque abest inflammatio viscerum, dato omni tri-quadrihorio grano semis vel integro Opii solius, vel cum Ammonio, vel Moscho. Jahn (II. 243) tunc svadet hac uti formula:

R. Sacchari albi grana decem,
Salis Cornu Cervi grana duo (—quinque),
Opii puri grani quadrantem (granum),
m. d. pro dosi.

Si in Acmi loco stuporis adsit acies intellectus et oculorum, loquacitas, hilaritas et moestitia cito alternans, quae intra diem septimum et nonum erumpit in delirium apertum, cum facie rubra, oculis sangvine suffusis, motibusque exaltatis, tunc Hoven exhibuit Opium cum pauco Tartaro stibiato, aut interdiu hunc postremum solum, vesperi Opium solum. Audacissimus Chisholm in typho nervoso cum magna irritatione et debilitate intra nycthemerum Opii grana viginti quatvor, et centum viginti Calomelis exhibuit. — F e b r e s n e r v o s a s l e n t a s utplurimum post 40 dies finientes, delirio stipatas puerili, debilitate magna, convulsionibus, pulsu tardissimo saepe bene curari refert Cullen Opii dosibus majoribus repetitis; in stadio summo Cinchona accedat. Hinc mox producitur somnus, alvus, diaphoresis, augentur vires corporis, animique. — I n t y p h o a m e r i c a n o s. febri flava Jackson qua remedium principale laudat et exhibet Opium: in morbo indolis putridae, cum anxietate, nausea, vomitu, cum vino copiosum, usque ad crapulae hi-

laris effectum; in morbo indolis nervosae, cum vino, cinchona, et balneis tepidis; in morbo indolis inflammatoriae cum parco Tartaro stibiato et Sale Ammoniaco. Alii hicce cum Hydrargyro jungunt, cum febris flava sit typhus cum hepatis adfectione inflammatoria, ad principia Hamiltoni. — Febribus gastrico putridis conducit Opium in fine morbi, praecipue si accesserint forte diarrhoeae pertinaces, debilitantes (Jahn II. 219). Male vero convenit in stadio primo, sordibus putrescentibus vim morbi augentibus Opio retentis; bene in stadio secundo, delirio continuante, agrypnia locum stuporis occupante, hilaritate, cum pulsu parvo, celeri, duro, cuti sicca, urina pallida (idem II. 220). In Peste valere, donec functiones vitales bene vigent, pulsu et respiratione minus laesa, alias tamen nocere, jam observat Willis (Pharm. p. 169). Imo osor in nervosis Opii Huxham subjicit: Opiata in febribus putridis, malignis, petechialibus, si danda sunt, parca dosi danda esse, praecipue cum Camphora sudorifera praestantissima (Op. II. 116. 117). In febribus malignis, uti amphimerina, dum aegrotus noctu exacerbante febri corripitur, velut intercalare optimo effectu Opium exhiberi observat Linné (Amoen. acad. VIII. 297). — Typhus Scarlatinae junctus Opium requirit, si adsit agrypnia, anxietas invincibilis, continuae emeses aut diarrhoeae, cutis siccitas,

musculis tamen non nimium laxatis, bene junctum Camphorae, Moschoque (Voigtel II. 2. p. 272). — Typhus morbis cutaneis junctus, praecipue variolis quid expetat vide sub Articulo exanthematum pertractatorum. — In typho non valere Opium, praesente statu inflammatorio: pulsu comite duro, tenso, sopore, oculis splendicantibus, delirio vehementi, urina limpida, rubra vel fusca, siti et sudore copioso, sentit Jahn (II. 222), symptomatibus non apprime digestis. Valere tamen Opium in febre asthenicà cum inflammatione topica praecipue praesentibus doloribus fortibus, atque organis nobilioribus sensilissimis; quum ad gradum morbi effectusque inde observatos dosi media exhibetur, in- et externe, cum Camphora, Ammonio carbonico, Vino, observat Voigtel (II. 2. 274). Idem in statu febris nervosae versatilis, supra descriptae, ab Opio cessandum esse svadet, si augeatur somnolentia, somnus evadat stertorosus, accedat stupefactio, delirium taciturnum, sudor colliquativus, insensilitas, pulsus tardus apoplecticus aut minimus (l. c. 272). Dari epidemias, quae Opium non ferunt testatur latissime vastans typhus bello Annorum 1813 et 1814 productus, in quo parvae jam doses apoplexiam induxere, mortemque accelerarunt — exhausta alioquin per miserias belli omnigenas vitalitate belligerantium (Jahn II. 220).

4. Inflammationes vastum campum aperuere, plurimumque splendoris Opio adtulere. Periodus haec inchoat cum Hamiltoni experientia ab Anno 1766 usque 90-mum capta. De methodo Hamiltoni paucis agere instituti rationem plurimum dilucidabit. Primum ea post experientiam Annis octodecim captam publici juris facta est in A. Duncan Medical Commentaries, Londini 1785 vulgatis, sub titulo: von einer neuen Methode, entzündliche Krankheiten durch Quecksilber und Mohnhaft zu heilen. Observavit nempe Anglus sagax vim Opii antiphlogisticam, cum doloribus Syphilidis, Variolarum, Hepatis et Ophthalmiae illud opposuisset; methodo dehinc ea usus est in inflammationibus, ut post venaesectiones et evacuationes bolum e Calomelis granis quinque, et Opii grani quarta parte, aut grano integro omni sexta aut decima hora exhiberet, potu simul copioso mucilaginoso propinato. Horis 48 saepe faustus attingebatur finis. Diaphoresis augendae causa interdum adjecit Tartarum stibiatum, aut Camphoram. Fracta inflammatione Cinchonae locum dedit (vide Richteri chirurg. Bibliothek IX. p. 428—431). Alii nunc virum praestantem secuti sunt Angli, ut adeo his hunc debeamus articulum. — Inde edocti Opium generatim valere scimus in inflammationibus asthenicis, mixtis, praecipue systematis lymphatici, rheumaticis, inflammatio-

nibus per venaesectiones depressis. Status inflammationis typhosae decurrit cum pulsu parvo, contracto, spastico, tenso; cuti sicca, male colorata, sudore nullo aut tenaci.

Contra Phrenitidem et Paraphrenitidem suum Hamilton exhibuit et laudat mixtum; Bell loco ejus praesente dolore vehementi, et inquietudine magna exhibuit mixtum e vini Antimonialis Huxhami partibus tribus et tincturae Opii parte una. In Phrenitide valere Linneus asserit. Phrenitidi puerorum variolosorum opposuit Sydenham paregoricum e Laudani liquidi guttis 18 ad 25, vel Syrupi de Meconio unciam unam usque sesquialteram. Post tractationem antiphlogisticam, morbo diuturno licet, nec tamen declinante, symptomatibusque adhuc efferis Sydenham observavit aegrotum facile liberari morbo per narcoticum largiori dosi exhibitum, idèmque non ante diem duodecimum, optime decimo quarto exhibendum censuit; utebatur Laudani londinensis grano sesquialtero, liquidi guttis sedecim (Op. I. 69. seq). Valet Opium 1) in Phrenitide, dolore licet absente (quem Jahn rariorem observavit), cum eundem irritatio sensorii et nervorum spastica minuat, impressiones externas impediat (Jahn II. 225). Opii vis tum stimuli peregrini inflammationem retinentis, effectum tol-

lere, dein hoc sublato sangvinem aliorsum, ad aequilibrium redire observat Vogel. — 2) Opium Phrenitidi qua cardiacum praestantissimum opponitur, symptomatibus continuo tramite decurrentibus: pulsu debili, parvo, tremulo, viribus minutis, subsultu tendinum, inquietudine urgentibus, ad mentem Vogelii. — 3) Morbo vero imminuto, systemate tamen nervoso efferato, unde agrypnia, deliria intercurrentia, facie licet pallida, pulsu molli atque composito, oculis mitibus, animo pacato illud idem valet remedium, teste Vogel.

Anginae inflammatoriae bene opponi Opium, Hydrargyro junctum, experientia testatur; magis tamen Opium confert, imo remedium praesentaneum morbi esse observavit Conradi, si is minus inflammatorius indolem potius sequatur nervosam, spasticam, si cito ingruat, sensu quasi epistomii collum occludentis, deglutitione laesa; aut si indolis mucosae, polyposae fuerit. Anginae quidem pectoris, alioquin morbi dirissimi, symptomata: tussim, dolorem, spasmum sola opiata lenire Heberden auctor, cui accedunt Macqueen (in London med. T. V. n. p. 126), Temple (in prakt. Arz. Kunde übers. von Michaelis p. 398) et Elsner (über die Brustbräune 1778).

In Pneumonia Opii utilitatem multis exponit Horn (über die Erk. u. Heilung der Pneumonie p. 210 seq). 1). In Pleuritidis quidem initio et acmi inflammationis vigente plurimi non convenire statuunt auctores (e. g. Jahn), attamen in periodi primae dolore summo, simul cum venesectione, fomentisque, Opium adhibuit, omni trihorio ad granum semis versatus Sarcone (von den in Neapel umgehenden Krankheiten I. 114). 2). Post fractam quidem per venaesectiones, salia deplentia, antiphlogistica plurimi auctores secure adhibuerunt Opium: pulmonibus nempe depletis, pulsu molli libero; adhibuit illud hoc in statu jam suo tempore Huxham inter primos, scopo doloris ac tussis leniendae, plurimis in casibus saluberrimam ejusdem efficaciam expertus (Op. II. 228. seq); uni suorum aegrotorum intra nycthemerum ter detraxit sangvinem, simulque Opii porrexit soluti grana septem, atque Diacodii uncias duas usque tres (ibid. 229); urgentiori sic symptomati, tussi quidem violentae optime sic prospicere ratus (II. 188). Inflammatione vero per venaesectionem imminuta suum Hamilton exhibuit mixtum. 3). Post adhibitam methodum antiphlogisticam, persistente nihilominus pulsu duriusculo, parvo, tussi sicca, saepius impedita, sputis sangvinolentis, respiratione laboriosa, doloribus magnis punctoriis, cuti sicca, aut perspirabili tenaci tecta, urina

tenui, — primarius Opio est locus, praecipue antimonialibus juncto (Jahn II. 226. — Vogel). Doloribus summis suppressaque hinc tussi urgente adhibuere Thilenius et Vogel. Opii granum unum Olei Lini unciis quinque ad sex dilutum exhibuit Haen. Sequela salutaris observatur sensim oborta quiete, tussi minuta, respiratione liberiore atque sudore; haec si non subsequantur Opium potius obesse affirmat Cullen. 4). Febri praecipue asthenica comite inflammationum pectoralium indicari Opium asserit Horn, initio quidem dosibus minutis: omni sesquialtera hora adulto porrigendam quartam grani partem, aut e mixti partis unius tincturae thebaicae cum partibus duabus liquoris anodyni mineralis Hoffmanni guttas decem usque triginta. Eandem mixturam exhibuit Jahn, imo tenellis mitiori Ipecacuanhae, aut actuosiori Hydrargyro junctum Opium (II. 227). Inflammationi typhosae, rheumaticae, si venaesectio nec febrim atque dolorem minuat, Hamilton exhibet omni sexta hora Calomelis grana quinque, Opii granum unum pro dosi. Inflammatio indolis spuriae, praecipue typhosae exigit consortium Hydrargyri, Stibii, Camphorae, Senegae. Pueris imo variolosis et gravidis suum mixtum propinavit Hamilton.

G a s t r i t i d i et E n t e r i t i d i ut plurimum salia atque acida antiphlogistica mi-

nus conveniunt, ob sensilitatem organi efferam; tunc praecipue praesente pronitate in debilitatem indirectam praesto sunt emollientia mucilaginosa, quibus remediorum alioquin mitissimis accedere interdum possunt Hydrargyri atque Opii praeparata juncta. Utrique morbi formae opposuit Heberden salia atque opiata simul, formula sequente:

R. Extracti catholici grana viginti quinque.
Extracti thebaici granum unum et semis.
Mercurii dulcis grana quinque.
misce f. Pil. granorum decem.

Sydenham vesperi opiata, et insequenti mane purgans exhibuit, sagaci sua methodo nixus alternandi, aut submittendi purgantia opiatis. Extractum Opii aquosum cum mucilaginosis, oleosis et melle laudat Vogel, imo vero nec ab Opio toto, ejusque resinosa parte timet Jahn (II. 220); Camphorae et Hydrargyratis jungi svadetHamilton(in edinburg. med. Comm. Vol. IX.). Multa certe ab Opio salus exspectanda enteritidi, dolori inflammatorio, et sensilitati abnormi minuendae; juvamen eidem accedat e clysmatibus emollientibus et venaesectione, ad mentem Sydenhami, Swieteni; plurimum sic proderit inflammationi ingruere volenti (Erl. Oestr. Pharm. I. 348). Inflammatione remittente Camphorae jungi

suadet, pro partium affectarum sensilitate deprimenda, Jahn (II. 229).

Hepatitidi Opium non deest, nec desit, utilissimum compertum! Indiae utriusque ejus adplicationem copiosam fecere, per secula, donec europaeus casu fere adhibere ausus est cum Mercurio dulci Hamilton, at evigilati jam fide et strenue eodem uti valemus. De Opii apud Indos orientales usu hic audiamus Bontium Archiatrum olim javanensem (de medic. Indorum p. 4. et eadem fere repetentem p. 23): „frustra medicinam faceremus in Indiis, dysenteriae, cholerae, febribus ardentibus, ac reliquis biliosis affectibus orgasmo turgentibus, — si Opio nobis non esset hic prospectum. — Insignis est oscitantia, quae in abusum medicamenti dicuntur, in usum nobilissimi inter omnia pharmaci velle referre". In Hepatitide ergo, post largam venaesectionem, simul cum topicis, Opium adhibitum optime supprimit stimulum ad tussim perpetuum, respirationem impeditam, alvum ac tenesmum crebriores, non tamen juvantes (Jahn II. 229). Hepatitidi chronicae, atque infarctibus visceris hujus magni jamjam incipientibus bono cum effectu doses Opii parvas svadet P. Frank.

Nephritis, Cystitis atque Metritis idem exspectant, data indicatione, remedium. In Nephritide a calculo renum oborta, post venaesectionem, enema et vomitum exhibuit Sydenham Laudani guttas viginti quinque (Op. II. 559.); idem feminae hystericae sola propinavit paregorica (II. 420); Nephritidi a podagra retrocessa, caputque simul tentanti opposuit Laudanum suum liquidum, cujus guttas viginti pro haustu exhibuit (II. 474); idem summus medicus observabat omnes fere calculo renum laborantes a podagra diuturniore Nephritidi obnoxios post vomitum guttis viginti quinque Laudani sui liquidi bene curari (ib. 475). Nephritidi calculosae bene opponi Opium refert Tralles. — Metritidi iterum suum opposuit mixtum Hamilton, illudque idem praesentibus adhuc post venaesectionem doloribus spasticis laudat Vogel et Jahn (II. 58).

Opium contra inflammationes a magnis vulneribus (operationibus majoribus: calculi, amputationibus etc.) ortas longo aevo adhibitum laudabatur ab his, culpabatur ab aliis. Pro sensilitate imo timore minuendis usum hunc suadet Cullen, et cordatissimi adhibuerunt Chirurgi; ante et post Operationes momentosas momentosum pronunciat et exponit Rich-

ter; duabus ante Operationem horis sesquialterum granum, post Operationem itidem duabus horis tres grani quartas exhibendas notat Mellin. Opium in vulneribus plus contra inflammationem oriundam valere, quam venaesectionem auctor est observator Bromfield; in nosocomio edinensi Scotiae post Operationem calculi aliquot doses Opii exhiberi, scopo dolorum leniendorum, atque suppurationis promovendae narrat Ebeling; ingentibus dosibus exhibuere similibus in casibus Sabatier atque Billard: hic quidem Laudani liquidi Sydenhami guttas centum pro dosi, ille intra nycthemerum Opii grana triginta sex. At jam de indicatione rationali speciatim quaerendum. Sensilitati soli deprimendae studendum, si vulneribus insint peregrina, mechanice irritantia uti ossicula, acus, globi; aut si tendinibus laesis, ab inflammatione sensilissimis, medendum sit. Valet hic Opium aliquot post vulnerationem diebus: asthenia indirecta suborta; valet tandem dolore, inquietudine atque anxietate intensis, absente tamen inflammatione topica atque universali. Non tamen generatim, quod aliqui suadere conceperunt, valet; contra auctorem Materiae medicae Heckeri nomine inscriptae (Hecker's Arzneimittellehre 1814), talia asserentem juste invehitur editor Materiae medicae Jahnii (Editionis quartae II. 230) Erhard: nocere quoque posse hoc in

casu

casu Opium. Absit enim procul usus Opii praesente inflammatione topica, et universali, cum hanc et tensiones, atque anxietates augere valeat; si vero inflammationis oppressor exstet, facile metastases ad viscera quaeque interna causat. Hic quidem Erhard e copiosa experientia sua valere asserit dictum Brunonis ferocitantis: Opium mehercle non sedat! Nec quidem Opium nostro in casu valet praesente sub febri typhosa epirrhoea cephalica, quae alioquin communiter obtinet, ad mentem Jahn (II. 261).

Inflammationibus erysipelatosis feliciter oppositum saepe fuit Opium cum Camphora, stibiatis atque Ipecacuanha. Inflammationes catarrhales idem debellat post imminutam per venaesectiones et vesicatoria phlogosim, indeque relaxatas glandulas bronchiales: tussim enim et leniet et muci soluti evacuationem promovebit, et diaphoresim antagonisticam augebit. Adduntur tunc justo consilio antimonialia et Scilla.

Ophthalmiae per Opium curatio periodum inchoavit anno 1780, quo Jacobus Ware observationes de Ophthalmia (remarks on the ophthalmy etc.) Londini edidit. Opium Ophthalmiae bene opponi antiquitus notum

fuit; Dioscoridis verba (IV. 60. p. 745) haec sunt: Opium inflammationibus oculorum cum torrefacto ovi luteo proficit. Galenus tamen in usum ejus invehitur, observans: ex Opio collyria multis detrimento fuerunt, adeo, ut debilem oculum reddiderint, et visus hebetudinem (amblyopiam) induxerint (de compositione medic. l. 2.). Opium, quid in morbis oculorum agat, speciose atque theoretice profert Graefe: agere in organa nervosa altiora (cerebrum puta et sensuum), sensationem ab intus extrorsum versus impellere, secretiones phlogisticas augere, vegetationem corneae incitare (ob resinam!?). Valet ex observatis Opium in Ophthalmiis asthenicis, chronicis, typhosis, praecipue vero cachecticis, omnium maxime scrophulosis, arthriticis, venereis; in ophthalmiis serosis, aut siccis, generatim torpiditate organi praesente; tandem Ophthalmia a causa externa. Praecipue valebit oculis sensilissimis, dolore a motu et luce, illachrymatione, incitatione, pupillaque coarctata (Jahn II. 226). — Character morbi ab origine inflammatorius deprimendus venaesectionibus, hirudinibus, fomentis, atque sumtis remediis antiphlogisticis; hoc sic depresso, aut charactere mox ab initio typhoso praesente, capite libero, pulsu tamen irritato, febricitante interna porriguntur remedia ex Opio cum Calomele, cum Tartaro stibiato, quod effectu

saepe optatissimo observat fieri Jahn (II. 226). Curae internae comes sit Opii usus externus, qui tamen saepissime solus profuit. Corrigens aliorum remediorum exstat, praecipue mercurialium (Oxydi rubri, aut Muriatis Hydrargyrici). Fomenti forma tepidi adhibetur, ni relaxatio contraindicet, aut ungventi pingvis forma inungatur arthriticis, aut processui vegetativo immutando solutum oculo instilletur Opium (Graefe Repertorium p. 44). — Chemosi multum dolorosae Janin opposuit aquam colatam, ex aquae rosarum unciis sex, atque massae pilularum de Cynoglosso drachma sesquialtera. Contra Ophthalmiam inflammatoriam a causa externa laudatur formula sequens, emolliens, sopiens:

R. Infusi radicis Althaeae tenuis uncias tres
(e radicis drachmis duabus
cum Aquae Unc. tribus)
Opii puri grana duo
misce exactissime terendo.
Sig. Adplicetur oculo tepide.

Ophthalmiae chronicae prodesse poterit Opium; dolore nempe partim, inflammationis gradu minuto, ipsa tamen persistente, qualis saepe accedit scrophulosis, post exanthema variolosum, miliare, post opera-

tionem cataractae. Hic inclaruerunt methodi variorum, at praecipue Ware, van der Haar, atque Else. Ware tincturam thebaicam Pharmacopoeae Londinensis primus expertus est, quae Cinnamomi atque Caryophyllorum aromate acuata Vino hispanico solvente constat, misso tamen Croco, ad hanc formulam:

R. Opii puri uncias duas
Cinnamomi
Caryophyllorum ana drachmam unam
Vini albi hispanici uncias quindecim
M. digere per dies septem
Colatura d. u.
S. Tinctura thebaica Pharm. londinensis.

Hujus guttas duas ad tres bis ter per diem instillare oculo adsuevit Ware (Laudanum Sydenhami liquidum substituunt alii): oboritur dolor, et lachrymatio post pauca minuta cessans, quibus post aliquot dies subsequitur morbi sublatio. Observat Ware Opium solum nil efficere, verum Laudanum aromaticum juvare! Alii tamen tincturam Opii aromaticam nimis, atque justo longius stimulare, quod sensilitate aliqua praesente non mirum videbitur, ita, ut quidam effectum a depletione per illachrymationem orta derivare contendant,

aliaque plane spirituosa similiter actura exspectent. Praeplacet hinc Else methodus (in Hunczovsky med. chir. Bemerkungen vulgata), qua tinctura thebaica miscetur guttatim aquae rosarum, dosi ejusdem sensim aucta. Si ab Opio sic adhibito nullum observabimus effectum, venaesectio, hirudines atque purgantia interponentur, quibus Opii iterum succedat virtus. Hic Opii doses internas lautiores ad mentem Haar exhibitae juvant. Opii hac in Ophthalmia vim juvent zincina, mercurialia, plumbata, tinctura Stramonii, Mucilago seminum Cydoniorum. — Ophthalmiae serosae infantibus adeo communis penitior ratio secundum van der Haar habenda est. Decurrit ea palpebris suppurantibus, bulbi occuli doloribus pungentibus, spasticis, lachrymatione spontanea, lucis stimulo augenda, subsequa saepe obscuritate corneae, imo coecitate. Haar observat nocere venaesectionem, vesicantia, purgantia, frigida topice adhibita; observavit medelam a pulte ex aquae purae unciis quatuor, tincturae Opii drachmis duabus, tribusve, cum mica panis albi super linteo topice adplicita: remedium sit internum simultaneum decoctum Cinchonae et vesperi lene paregoricum. Dolore sensim minuto, oculis tamen pure tenaci illitis, adhibeatur palpebrarum margini illiniendum ungventum mercuriale rubrum (ex uncia axungiae porcinae una cum Hydrargyri oxydati

rubri drachma una); interne porrigantur anti-scrophulosa, praecipue glandulis tumentibus, vesicatoria ad nucham et brachia. — Psorophthalmia pertinax comparens palpebris conglutinatis lympha tenaci duraque, glandulisque subobstructis Conradio paucas intra dies sanatur Ungvento suo ophthalmico, ex ungventi rosati uncia una, Florum Zinci drachma semis, et Opii granis sex; aut paucis Opii granis ad olei pingvis unciam semis additis, quae tepide adplicentur. — Palpebrarum inflammationi saepe profuit aqua ophthalmica Conradi, e Muriatis Hydrargyrici grano uno, tincturae Opii drachma semis, et aquae rosarum unciis sex. A vase tandem sangvifero e conjunctiva versus corneam decurrente Laudanum liquidum instillatum intra paucas dies liberari oculum, idem notat Auctor. — Pannos, maculas corneae ab inflammatione partiali chronica productas interdum suffert Opii solutio instillata, aut penicillo inuncta. — Staphyloma sub variolarum decursu, aut post has ortum, cono inter palpebras prominulo Laudani liquidi inunctione per octo usque quatuordecim dies continuata saepius sublatum fuit: resorptione aucta, obliteratione vasorum producta atque abhinc impedita vegetatione abnormis formati (Graefe p. 50). At Staphyloma inveteratum, durius, cartilagineae fere consistentiae non sic, imo nec majus, dum uvea ad corneam

introrsum intumescentem adnascitur, suffertur Opio, quo tamen deformitas minuitur. — Uveae procidentiam post Cataractae operationem obortam Laudanum instillatum tollit, qua stimulus lachrymas ciens e Conradi, qua vegetationem minuens e Graefe (p.50); melius tamen operatur a Janino laudatus murias stibiosi (Butyrum Antimonii). — Spasmum palpebrarum infantum scrophulosorum, verminosorum, porrectis simul interne porrigendis, bene suffert aqua plumbata Opio mixta sindoni tepide infusa, ad formulam Conradi sequentem:

R. Aquae Rosarum uncias quatuor,
Sacchari Saturni grana quinque,
Opii puri grana octo.
Misce terendo.

Jam ad calcem inflammationum de Rheumatalgiis loquendi locus est. In Rheumatismo acuto febri inflammatoria multum fervente absit Opium, at febri non multum inflammatoria, nec intestinorum statu contraindicationem sistente, Opium rheumatismi hujus infallibile remedium salutat Scudamore. Inflammatorio statu (Sthenia) per venaesectiones, evacuationes, alias depresso Opium accedat, at junctum aliis antiphlogisticis: Nitro, Mercurio dulci, Ipecacuanhae,

diaphoreticis, optime antimonialibus et Camphora, quo scopo iterum valet duplice Pulvis Doveri. Sydenham post venaesectiones duas, tresve mane exhibebat lene catharticum, et vesperi dosim lautam syrupi de Meconio, ut orgasmum et periculum recidivae supprimat (I. 275. II. 321). Idemque observat Opiata in vigore morbi non valere (I. 275), ante venaesectiones data plures venaesectiones necessarias facere (274), imo nec juvare (II. 221). At dolore adeo nimio, ut febris producat anxietates, perspirationis suppressionem, tunc etiam inflammatione praesente doses Opii largae juvabunt, nec diaphoresis aucta (Jahn II. 235). Paulizky, qui plures super cura rheumatalgiarum observationes promulgavit (med. prakt. Beob. I. Samml. 39. II. Samml.) Opium semper Camphorae, Ipecacuanhae, stibiatis mixtum exhibuit (I. 39), imo solum dolorem augere notat, curare vero, si grana ejusdem duo cum Ipecacuanhae granis quatuor repetito exhibeantur (II, Sammlung). — Opium tandem ad finem vergente Rheumatismo acuto necessario in usum vocandum esse observat Jahn (II, 235), scopo sensilitatis deprimendae, quietis procurandae, et hinc incitationis augendae, tunc Desgranges Camphoram addit; saepe amara, imo lenia acida bene jungi auctor est Jahn (II, 235).

Rheumatismus chronicus, absque febri inflammatoria decurrens potius, quam Opio, curatur roborantibus e Jahnii mente; valet tamen remedium nostrum praesentibus doloribus fortibus, periodice, maxime vesperi exasperatis, tunc idem auctor sub periodo exhibendum svadet (II. 235). Fothergill Opium exhibuit leni dosi, stibiatis junctum, Lewis solutum adhibuit Opium sequente formula:

R. Opii puri grana sex,
Tartari stibiati grana octo,
solve in
Spiritus Vini tenuis unciis tribus.
M. D. S. mane et vesperi uno
cochleari sumendum.

Scudamore Opium indicatum asserit in Rheumatismis tarde ingruentibus, reactione tarda, illudque in-et externe adhibendum esse statuit cum regimine diaphoretico. — Rheumatismis vagis optime opponitur Opium, cum causa morbi videatur esse sensilitas atque debilitas, haecce quidem maxime systematis affecti, cui hypersthenia vix adest: datur tunc cum Camphora, Moscho, tinctura Quajaci volatili, Quajaci resina nativa, Oleo Cayeputi, Aconito, Ipecacuanha, stibiatis et mercurialibus.

Lumbaginem qua Rheumatismum musculorum, aponevrosium tractat Scudamore purgantibus atque simul pulvere Doveri.

Ischiatidem nervosam, morbi nervi ipsius, Pringle Rheumatismi instar pertractavit, Fothergill Mercurio dulci, stibiatis et Opio mixtis, Kaauw Boerhaave vesperi exhibito Opii grano, aut clysmatibus opiatis, et Opii usum in Ischiatide a causa syphilitica plurimum laudavit primarius hoc super objecto Auctor Cotunni.

5. Exanthematicis morbis diu insigni emolumento Opium opponi, observatum habetur. Angli Sydenham et Huxham viam hoc in curriculo stravere recentioribus Haen, Mellin, Vogel, aliisque. — Variolis humanis primus hic est locus, alioquin et serie morbi, et difficili curatione. Sydenham asserit: „Morbum hunc adeo impense „efflagitare narcoticum, ut in eo rudis sit opor„tet et parum observationi deditus, qui aegros „suos subsidio tanto defraudat" (Operum t. 2. p. 376). Idem tamen sagax observator Opium minus convenire infantibus, tenerioribus nempe, nec adeo accensis morbo, ut illud minus bene ferant, saepeque eo somnolenti evadant; bene potius convenire juvenibus, prae-

sentibus pustulis mali moris atque phrenesi. (II. 377. et 372); nec convenire, si diarrhoea, hic saepe necessaria adsit, quae facile supprimitur (I. 155). Cum Variolae vaccinae humanas necdum exturbaverint, medico curandum est, quod Politici non expurgarunt. — Primarius et momentosissimus Opii hic dandi auctor est praecitatus Sydenham. Opiata is asserit valere (narcotica nominat) pro ebullitione sangvinis imminuenda, et sustentando critico ptyalismo, pro manus ac faciei tumore rectius derivando (I. 155). Recentiores quidem auctores Tralles atque Tissot (febri suppuratoria decurrente) ab Opio timent, ob dispositionem in putredinosum statum, cutis tensionem inflammatoriam, somnolentiam, obstipationem, imo ptyalismum productum! unde Rosenstein eo in statu acidum sulphuricum tenue exhibet. Sagacior vero haec etiam novit, imo cordatior non timuit Sydenham; subjungit enim loco praecitato: ptyalismum initio quidem ad horas supprimi, mox tamen redire; imo ptyalismum undecima morbi die, cum periculo suppressum, paregorico redire (I. 155. II. 376), adnotabat quoque: Salivam parciorem, rectius tamen excoctam excerni (II. 276). Insuper Opium generatim valet, paroxysmis sub vesperi horam sextam, septimamve vehementioribus mitigandis (I. 156); tandem dysenteriae, diarrhoeae, vomitui, imo doloribus nimiis minuendis (II. 279. 233).

atque inquietudini, vigiliis, phrenesi minuendae (I. 152). — Quo in stadio expediat porrigere Opium audiamus. Pauci Opii vim omni in stadio bonam salutant, praesentibus Variolis aut mitibus aut difficilibus, quorum praecipuos agnoscimus Sydenham et Haen: secuti Hufeland, Reil, et Klees. In statu tamen solum spastico, motuum anomalorum valere generatim observat Haen, et usum Opii cum distinctione status valere plures asserunt: febre nempe typhosa variolis ut plurimum malignis juncta convenire Tralles enunciat, febri asthenica spasmisque cutaneum formatum erumpere impedientibus, aut variolis jam formatis collapsis, confluentibus, gangraenescentibus locum esse Opio observat Hufeland (von den Blattern p. 137.) quibus accedunt Reil (Memor. clinica II. 1. p. 62), et Klees (in Hufeland Journal IV. p. 447). Initio morbi nervis laesis, vitalitate depressa valet Opium, pulsu nempe debili cito, contracto, cuti pallide, inaequaliter rubente, hinc illinc coerulescente, respiratione anxia, cita, suspirante, inquietudine, animi deliquiis, siti nulla, calore majore, dolore abdominali, hyperemesi, diarrhoea, convulsionibus. Opium nunc datum cutis calorem, humorem, aequabilem pustularum eruptionem producit, pro se aut cum mercurialibus, antimonialibus, spiritu Mindereri aut fortioribus, tartaro emetico, Camphora, aut secundum Hufeland

cum floribus Zinci, dosi qua emesim non producunt (Jahn II. 231). Valet adeoque Opium in stadio eruptionis ad mentem Sydenhami, Mortoni, Youngii, Huxhami, Werlhofii, Haenii, Swietenii, Störckii, Hufelandii, Reilii, Jahnii, Voigtelii, dum Variolae non normaliter efflorescunt, spasmis, convulsionibus stipatae, doloribus et emesi accedentibus; omnium maxime ad mentem Mellini, dum partim jam evolutae iterum desides subsident, quo in statu Cinchonae vim adjutricem sibi expetit Opium. In stadio inflammatorio (secundo) morbo nimis impetuoso, opiata vespertina quinta data conducere auctor est Boerhaave (Aphor. p. 528), qui Opii granum unum pro dosi exhibuit. — Plurimi tamen Auctores stadio suppurationis Opium adesse debere meminerunt. Praedicatur tamen, Tissotium invictis argumentis probasse, Opium in febre Variolarum suppuratoria damnosum esse! At alios, fere omnes audiamus. Sexta ab invasione nocte omni vesperi usque ad diem decimum septimum dandum esse Opium svadet Sydenham (II. 274), et quidem vesperi hora sexta ad septimam (I. 156), die undecima vero hora quinta, nova nempe quasi aegritudine urgente (II. 375). Anodyna necessaria esse in Variolis, speciatim crisi ingruente et praesente, pro inflammationis et doloris lenimine, asserit Huxham, et ea imprimis largiore dosi exhibenda esse

ante noctem (seu exacerbationis tempus): hoc in casu Diacodion nonnisi infantibus sufficere, calore majore urgente acida, salina adjungenda, febri vero debiliore alexipharmaca idem observat (Op. II. 146). Si hoc in stadio Variolae fuerint crudae, ichorosae, coctione difficiles, pallidae, cum pulsu debili, urina tenui, aquea, tunc opiata indicari idem effatur, dosi, qua quietem, non stuporem concilient: „Nulla dantur remedia, quae tam ef„ficaciter humores tenues, acres inspissant, „eorumque irritationem atque defluxum aver„tant, et pustulas maturent, quam Opiata „conveniente ratione data" Profecto, subjungentis sunt verba, praesentibus pustulis copiosis, multumque dolentibus sine opiatis parum efficere valemus; parva esse horum dosi incipiendum, atque ad altiorem adscendendum (Huxhami Opera II. 139). In stadio suppurationis Haen inconditionate laudat, absente nempe dissolutione putrida. Tralles ejusdem est opinionis: Opium esse exhibendum in febre secundaria, doloribus vexantibus. Consentit Mellin, qui diem porrigendi Opii defigit octavum: vesperi febre mitiore praesente, variolis dolentibus, maxime vero his detumescentibus, accedente diarrhoea, haematuria, licet haec ambo dissolutionis putrescentis symptomata sint, in qua Opium non valet! at experientia usum Opii hic consulit, cum Variolarum tractatio alioquin multis non explicitis

stateat (Segniz II. 180): an forte diaphoresi aucta excitat? interrogat! mihi quidem videtur, incitare vitalitate organi hic fungentis, cutis videlicet, aucta. Certum insuper est, Opio bene hic jungi antiseptica: Cinchonam, acidumque sulphuricum. In stadio secundo praesentaneum esse Opium Lösecke contendit, atque Vogel speciatim tunc mederi notat pustularum pruritui, ustioni, doloribus, anxietati, inquietudini, dosi tamen parca. — Statum spasticum Variolarum malignarum, jamjam gangraenescentium graphice describit, uti solet, Hufeland (l. c. p. 136. seq.): Variolae sunt profunde coloratae, imo nigrae, confluentes, depressae, cuti non rubra (spastice constricta); adsunt debilitas, insensilitas, pulsus celer, debilis, convulsio, diarrhoea. Opium nunc incitat nervos cutaneos, vitalitatem nempe periphaericam, imminuit stimuli morbosi actionem. — Reil itidem suppurationi imperfectae a functione nervorum laesa occurrit Opio. Similiter Jahn pustulis male coloratis, non debite increscentibus, cute simul pallida, diarrhoeae et anxietati praesenti (nervis nempe adfectis) succurrit Opio (II. 232). Hoc in stadio Variolarum situm binarium solliciti distinxere auctores, nominando discretas et confluentes. Valet autem Opium in Variolis discretis, interstitiis harum, atque facie pallida, quum porrectum levat pustulas, atque ad faciem determinat (Sydenham I.

157); quae ab his saepe pertimescenda est oborïunda ob inquietudinem, anxietatem et vigilias phrenitis (ib. 152. 155), haec saepe solis narcoticis aut sangvinis missione imminuitur (157), cum Opium sangvinis motum efferum imminuat (158). Plurimum tamen juvamen áb Opio auctores observarunt in Variolis confluentibus, in quibus paregorica, quasi specifica, perinde ac Corticem peruvianum in febribus intermittentibus esse observat Sydenham (II. 371). In Variolis confluentibus, ubi febris nocturno tempore ingravescit, atque exanthemata subsidere incipiunt „anceps esse sine Opio auxi„lium" pronunciat Linné (Amoen. Acad. VIII. 298). In id enim semper sollicite incubuit Sydenham, ut motus sangvinis atque spirituum sopiret, ordinaret (II. 371), ne dolor, vomitus, aut diarrhoea aegrum dejiceret (372). In Variolis anomalis, confluentibus, nigris tamdiu opiata exhibuit, donec motus vitalitatis compesceret (II. 204. 239). Praetulit tamen in hunc scopum minus (ac Laudanum suum liquidum) calefacientem syrupum de Meconio, dosi tamen praeter normam majori exhibendum, ita ut adultis loco drachmarum sex unciam unam porrexerit, per intervalla ad effectum proportionata (372); puero decenni deliro exhibuit ejusdem syrupi unciam semis pro dosi intervallo horae dimidiae separato, dein singula nocte per morbi decursum unciam

ciam semis (373—4), cum regimine simul frigido. Cum fine morbi in hebetioribus die undecima hora quinta usque sextam pomeridianam (II. 375), imo ultimis, scilicet periculosissimis morbi diebus mane et vesperi opiata exhibuit (ibid). Nec tamen Laudani liquidi sui usum plenarie respuit, cum loco Unciae unius Syrupi de Meconio Laudani liquidi guttas sedecim dederit (II. 376). In Variolis confluentibus maxime valere volatilia, Opiumque tam schola antiquior anglica, quam hanc insequens periodus intermedia Brunonis contendit, ut adeo hic se consociasse videantur; Cullen enim atque Gregory laudant acida, Cinchonam et Opium! Febrim typhosam junctam esse debilitatem indirectam decidit Brown, atque laudat Moschum, Serpentariam, Camphoram, Aetherem atque iterum Opium: hic tamen mitius Opio Laudanum adhibuisse videtur, notante Jahn (II. 233). Diarrhoeae hic comparenti mox occurrit Opio Crumpe. Casus a Reilio pulcre descriptus, dispnoeae junctus, huc spectat. Hic imo Casus emergit, Opii cum Mercurio dulci consociandi, dum Diarrhoeas debilitantes Opio inhibere, dumque excretionem cutaneam regere volumus (Jahn II. 234).

Morbillorum decursui opponi Opium bene suadet Tralles, urgentibus tussi, dolo-

ribus, motibus convulsivis, atque diarrhoea; ad tussim infantum curandam prae reliquis valere opiata, hicce Syrupum de Meconio Auctor iterum est Sydenham (I. 198).

In Miliaribus abesse jubet Opium, inflammatione effera, Young, in inflammatione acuta viarum aëerearum Jahn, qui tamen illud alias in omni stadio valere asserit, praecipue tussi vehementi spastica aegrum excruciante; tussim enim, diarrhoeam, atque spasmos etiam hic Opium expetere observat Tralles.

Scarlatinae inter exanthemata minime convenit Opium, nec statui hujus typhoso, e mente Jahnii atque Voigtelii: typhus enim comes potius putridus, magis in statum paralyticum pronus est, quam in aliis exanthematibus (Voigtel II. 2. 275). Solum tunc Opium valere auctor est Jahn, si affectionibus nervosis adsit anxietas, agrypnia, emesis et catharsis laticis aquosi continua, cutis sicca; tuncque accedat Opio vis Valerianae, Camphorae, Moschique (II. 234). Tussi quoque nimiae, atque convulsionibus debellandis opponi debere juste monet Lösecke.

6. Profluviis atque retentionibus curandis Opium sufficere novimus.

Pneumatosi (Tympanitidi) interdum bene opponi opiata, aëri fixo juncta, cum aromatibus stimulantibus refert Jahn, diagnosi tamen indicante necdum empyrice determinata (II. 254).

Hydrops, serosorum morborum ad minimum mole praecipuus, Opium respuit, si is ab organorum vasorum lymphaticorum correspondentium obstructione mechanica derivetur, at cum idem saepius a spasmo descendat, spasmus vero opiatis fugetur, novimus Opio Hydropem curari tam e theoria, quam experientia, ductore primum Richtero. Spasmus forte a stimulo productus organi sensilioris, irritabilioris, ab exanthemate retrocesso: scabie, scarlatina, a rheumatismo optime suffertur antispastico primario, additis ad mentem Richteri roborantibus saepeque diureticis, aliorum vero diaphoreticis. Hamilton Edinburgensis exhibuit Pulverem Doveri, Ferriar Opium junctum Calomeli atque Scillae, Fordyce Scillae, Nitro et aromati (Piperi, Zingiberi, Calamo), Leake Aceto scillitico, Alcali et Tincturae Antimonii, Mahon Spiritui Juniperi, diureticis et Castoreo Selle; alii addidere Digitalem purpuream, Chelidonium, Antimonialia alii, Darvin Cinchonam; Ferriar formula sequente Opium exhibere solebat:

R. Saponis veneti rasi scrupulum unum,
Scillae siccae scrupulum semis,
Calomelis grana tria,
Opii puri granum unum.
M. f. Pulvis.
D. S. pro dosi hamaphagica.

Mead observationem protulit Opium in spasmis renum esse praestans diureticum, quod spirituosis stimulantibus junxit.

Mucosis lymphaticisve retentionibus atque profluviis Opium convenire testatum habetur.

De catarrhalibus febribus supra pauca dixi; hic de catarrhis plura dicere constitui. Contra catarrhum hujusque symptoma eminens, saepe excrucians antiquitus adhibitum fuit Opium: „in tussi nullum est majus medicamen quam Papaver" verba sunt Theophrasti Paracelsi (in Scholiis ad Poëmata Macri p. Op. 1087); contra Tussim laudat Willis (Pharm. rat. p. 178) pilulas de Styrace cum Lacte Sulphuris, Oleo Anisi et Balsamo peruviano. — Catarrhi generatim curantur ad indolem febris comitantis: inflammatione

enim praesente, congestione in pectus, obstructione atque induratione pulmonum praesente nullus Opio sit locus. Obesse novimus Opium Catarrhis a perspiratione supressa mox obortis; plethora pectoris urgente, atque dolore tussique efferis potior Hyoscyamus (Jahn II. 237). At Opio multus est locus, dum viae aëreae stimulo (acri vellicante) irritatae tussi copiosa, praeprimis sicca, contractiore afficiuntur: stimulus is rheumaticus, catarrhalis praecipue sensiliores, hystericas vehementius afficiens producit faucium siccitatem, titillationem, tussim contractiorem, absque exscreatione, dolorosam, anxietati, debilitati, agrypniae junctam. Hic valent pilulae Weikardi, Ipecacuanham et Opium tenentes (Jahn II, 261 seq.); Opium cum Kermete minerali singulo vesperi exhibuit Mudge, cum Scilla alii; cum gummi Ammoniaco catarrhali tussi opposuit Pringle. Tussi catarrhali metastaticae et spasticae convenire Opium Tralles exposuit; tussi a miliaribus residuae, aeque uti catarrho inveterato Huxham Opium opposuit cum oleosis atque purgantibus. tussis inveteratae saepe unicum remedium esse dicit Haller (AML. p. 276); et Young illud praecipue in tussi habituali saepe recurrente dosibus repetitis parvis laudat. In tussi vehemente dolorosa excreti indolem Opio mutari (coctionem promoveri) observatum est. Imo tussi phthisicorum oppositum Opium novimus.

Meza in se ipso curavit tussim titillatoriam, hora vespertina somni periodice recurrentem, quae phthisicis familiaris, quaeque ad Phthisim dispositis prodroma morbi est, usu per duas tresve septimanas protractiore, suadetque pectoris dolore molestiore sangvinis missiones celebrandas (Soc. med. havn. Collectanea II. 309. seq). Tussi phthisicorum, pro suppuratione benigniore obtinenda opponi suadet Wirtensohn (p. 451), atque Reid (über die Natur der Lungensucht in der Sammlung für prakt. Aerzt. X. 603), in quo casu amaris, praecipue balsamicis atque Myrrhae jungendum suadetur.

Blennorrhoeae (aliis saepius gonorrhoeae dictae), Catarrho utpote urethrae, Opium multum opponitur. Inflammatio localis fortior praevie supprimenda est venaesectione, hirudinibus, fomentisque ad perinaeum adplicitis, dein Opio accessus patebit, si dolor, irritatio, aut excretio multum abnormis suadeant. In omni quidem stadio morbi Opium valere Hamilton asserit! at in blenorrhoeae acutae stadio inflammatorio facile effluxum muci morbidum sistit, multo cum systematis generationis periculo: producta Ischuria, testiculis inflammatis etc. Hoc in stadio praeter dicta solum valent emollientia, frigida, interdum addita antiphlogistica. Locus

insuper esse potest Opio incipiente vix inflammatione, quam praevertere, et mox finienda, quam tollere potest, ob sensilitatem imminutam; tandem inflammationi mitiori, dolenti tamen, Opium opponere fas est. Topicae nunc adhibitae injectiones praestant aquosae, mucilaginosae, nec solutiones spirituosae, inter quas Laudanum liquidum eminet (causa Alcoholis solventis stimulantis). Unitur Kali, plumbatis, mucilaginibus ad indolem et stadium morbi. Valent formulae sequentes:

R. Mucilaginis gummi arabici tenuissimi uncias duas,
Opii puri grana duo
solve terendo.
D. S. pro injectione.

R. Infusi Seminum Lini uncias novem,
Opii puri drachmam unam
misce terendo
D. S. Injectio Girtanneri I. 118.

R. Opii puri drachmam unam,
Sacchari Saturni drachmam semis,
solve in
Aquae comm. destillatae unciis sex.
D. S. Injectio Hunteri.

In Blennorrhoea sicca, effluxu ab inflammatione, spasmisque (saepe praesente chorda aut doloribus intensioribus) suppresso post venaesectiones atque hirudines tantatas Opium adhibitum effluxum producere Auctores sunt Jos. Salam. Frank et Bell. Abuti tamen recentiores et hoc loco Opio fatendum est, dum mucilaginibus solis proficere possent; relaxationes interdum hinc oriri supponere forte licebit! Symptomatibus hunc morbum comitantibus iterum Opium saepe remedium est. Ischuriae post inflammationem fractam Marherr Opium cum Calomele opposuit; in phimosi atque paraphimosi post evacuationes sangvinis locales atque universales injectiones atque fomenta opiata cum Calomele proficua sunt; chordae, priapismo atque erectionibus spasticis, inflammationis periodo adstantibus opponendae sunt praeter diaetam antiphlogisticam atque remedia diluentia mucilaginosa injectiones opiatae, majori ante somnum quantitate injiciendae; testiculorum tandem inflammationem veneream post tractationem antiphlogisticam Opio intus et extus exhibito curari bene docuit Althof et Swediauer (prakt. Beob. p. 90). In testiculo indurato pultem opiatam qua praestans discutiens laudat Fothergill (Med. Obs. and Inquir. Vol. V.), et balneum repetitum in solutione Opii aquosa P. Frank (Ep. Vol. 5). — Blennorrhoeae posthumae s. inveteratae, magnae sensilitati

junctae bene opponitur usus Opii in- et externus; ille quidem cum Camphora lenibus dosibus. — In Blennorrhoea feminarum acri fortiores valent injectiones opiatae, ob minorem urethrae irritabilitatem; bene adhibentur aut junguntur fomentationes opiatae perinaei, e. g.

R. Olei Amygdalarum dulcium uncias duas
Laudani liquidi Sydenhami guttas quadraginta,
M. D. S. Fomentum anodynum

Ad retentiones mucoso lymphaticas caterva conjicitur morborum heterogeneorum: icterus, obstructio, struma, scrophula, rachitis, originis majore parte non indagatae. In Ictero Opium pertimescunt plurimi; ad mentem certe Neotericorum, hypothesis filo inter coelum et terram pendentium, neutrum tamen attingentium, loquentem opinor Jahnium caeterum eximium practicum: nullatenus valere Opium in ictero, cum Carbonii quantitatem adgreget (II, 247); licet idem asserat Opium tamen valere in ictero, a spasmo reclusis ductibus, qui casus rarior obtinet in hystericis, hypochondriacis, saepe abrupte obortus. Tunc adhibenda esse nervina, antispastica cum solventibus evacuantibus, tandem amaris, aromaticis, roborantibus (l. c. 247). A spasmis oborti Icteri symptomata minui Opio

Auctores sunt Commentatores Pharmacopoeae edinensis (N. edinb. Disp. I. 454), a calculo spastice recluso orti curam fieri Opio Commentatores Pharmacopoeae austriacae emendatae (Erl. d. oestr. Pharm. I. 347). Bene conjungit Selle Asam foetidam, Chinam cum Opio. Cum tamen morbus utplurimum a vitalitate hepatis productiva derivet, non erit tunc Opio locus (Jahn II. 247). Alios tamen Auctores etiam hoc in casu Opio usos novimus: Chaux quidem in Icteri diversis casibus absque crisi debita Opii usum fecit, at Desault in Ictero ab obstructione hepatis expertus laudat Opium, Ferrum et Oniscum asellum. Hinc adhuc videndum, quid Natura ferat.

Obstructionum quibusdam varietatibus curandis Opium salutari eventu adhibitum fuisse constat. Tumoribus quidem scirrhosis, scrophulosis, arthriticis dolentibus, pro dolore leniendo, pro maturatione extus, bene adhibitum fuit. Ulcerum quidem gravissimorum, cancrosorum puta, olim cura Opium abhorruit: Young refert dolorem quidem ea comitantem lenire, attamen nocere; alii non quidem curare, at lenire intendunt, dum operationi locus non est, juncto Opii usu cum Cicuta alterne externo; vidit tamen Plenck ulceris cancrosi dolorem Opio adeo auctum fuisse, ut

convulsionibus ansam dederit. Ulceribus callosis cum fructu adplicuit Opium Acrell (chirurgische Vorfälle II. 445).

In Profluviis atque retentionibus cruentis curandis insignis Opio competit usus et praerogativa. Non est tamen Opio locus in haemorrhagiis hypersthenicis, activis dispositione nempe praesente ad inflammationem (plethóram, turgescentiam), ad dissolutionem, praesentibus sordibus abdominalibus. Valet in haemorrhagiis Opium, dum causa subest spastica: pulsu celeri, duriusculo, contracto, corpore sensili, dispositione hysterica, animo affecto; dum causa agit mechanice irritans, symptomaticam praestabit curam dolores leniendo, sic dum sub vulnere pulmonis tussim lenit, (Jahn II. 243).

Epistaxim coërcet Opium, si post venaesectiones potus dentur attenuantes refrigerantes, atque omni vesperi ad motum sangvinis furentem coërcendum haustus paregoricus (Syd. II. 284). — In Pneumonorrhagia s. haemoptoë antiquiores generatim contraindicatum pronunciavere Opium, si morbus absque tussi decurrebat, vel cum tussi quidem decurrens oriebatur a sangvine in pulmones effuso, quod laesionis externae

sequela est. Aliter tamen, quod scientificus conspectus Opii supponebat, experientia recentiorum indicationes definiit. Hoc in morbo Opio medicos carere non posse, Jahnii est effatum (II. 244). Morbo certe a spasmis, a causa mechanica irritante, a motu sangvinis effero oborto, cum spasmis, cum tussi asthenica spastica decurrenti adsit Opium; hoc enim leniet irritantis mechanici effectus, hoc tussim, hoc praevertet vasorum a costis fractis, vulneribus pectoris, ulceribus phthisicorum lacerationem faciliorem (Jahn II. 245. seq.), nam solertissimus et plurimum circumspectus Tralles observat (in examine rigorosiore virium — terrarum p. 247): „Opium, si ullum „aliud motuum impetus feliciter coërcet, un„das sangvineas rapidius provocatas inhibet, „fluxusque blandissimum moderamen ciet, qui„bus omnibus praestandis tantopere invigila„re tenetur medicus prudens". Haemoptoëm a stimulo vago e. g. in haemorrhoidariis sensilioribus a suppressa haemorrhoide, praeviis tensione inter humeros et scapulas, frigore, dispnoeaque, obortam saepe sustulit Jahn porrecto cum Sulphure et Sale amaro Opio, extusque adhibito Aethere (II. 244). Eandem a stimulo rheumatico in sensilibus refrigerium passis obortam Jahn curandam suadet Opio Ipecacuanhae atque Nitro juncto, aut cum Acido sulphurico diluto (II. 245), eidem Saccharum Saturni jungendum suadet et laudat Rey-

nold. Opio adhibito curatos casus narrat Bloch (med. Bemerk. Berolini 1774. p. 77), Rush (in Philad. med. Musaeum pro Anno 1804 I. n. 3. p. 318), et in phthisim proni hominis curam in se refert Meza (Collect. med. hafniensia Vol. 2. p. 309, similiterque Sammlung für prakt. Aertzte III. 329). — Haematemesim s. vomitum cruentum curabimus Opio, si eodem ventriculi abnormem sensilitatem sustulerimus, sique symptomatica morbi suppressione tempus pro educendis per alvum heterogeneis tubi intestinalis, pro roborandis et ad tonum reductis vasis sangviferis lucrati fuerimus. Opium tunc adhibendum est cum evacuantibus acidulis, tardius cum roborantibus: inter prima laudabilis Tamarindus, inter postrema Elixirium Vitrioli, Millefolium et Cinchona (Jahn l. c.). — Haemorrhoidis inflammatae exulceratae (uti et tenesmi dysenterici) remedium laudat Hermann (in Cynosura Mat. med. I. 625), post praemissa, stupam ungvento albo camphorato, Laudano opiato et Saccharo Saturni cum Oleo Lini illitam ano introductam, ad partes usque affectas, quod tamen cautius, imo minus compositum adhibendum censeo. Haemorrhoidibus uteri atque vesicae data indicatione proderit. — Haematuriam s. mictum cruentum Opio sustulit Gooch (med. obs. p. 21. et Sammlung f. prakt. Aerzte I. St. 4. 179). — In Metrorrhagia tamen s. hae-

morrhagia uteri plurimus factus est usus Opii, hacque de causa empirice exactius circumscriptus. — Mensibus parcioribus aut suppressis pridem enixius commendavit Freind in Emmenologia sua. Dum menses (haemorrhagia feminarum humanarum normalis periodica) parcius justo evacuantur, accedentibus abdominis doloribus ad speciem colicis, adparentibus ibidem per vices tuberculis celebris citatus Auctor adhibuit emplastrum opiatum abdomini per noctem, formula sequente:

R. Emplastri hysterici,
Emplastri de Galbano ana
quantum sufficit,
Opii
Camphorae ana drachmas duas
m. f. emplastrum largum,
S. abdomini adplicandum.

Post aliquot horas abdomen vehementer incalescere, lucta quasi humorum oborta, mane insequente dolores, tumorem et tubercula evanida observavit Freind (Emmenol. p. 124). — Mensibus suppressis a spasmis uteri recentior occurrere solebat Whytt Laudani liquidi guttis triginta ad quadraginta, cum simul extus adhibitis aqua tepida et fomentis emollientibus; menses suppressos cum dispnoea vehementi, tussi, appetitu deleto, viribusque

prostratis produxit Spiritu Salis Ammoniaci, Tinctura Croci et Laudani liquidi ana, exhibitis saepius mixturae cardiacae hujus guttis triginta in vehiculo: inde dolores sedabantur, viresque reficiebantur. Mensibus suppressis dolorificis plures Materiae medicae scriptores opponi jubent Opium, sic post Trallesium Gesenius, sic spasticis doloreque Colicam mentiente stipatis Segniz clysmata opiata (II. 115); mensibus tandem post puerperium emanentibus Laudanum suum opponi jubet Sydenham. Monet tandem Freind Opii hic doses repetitas minores valere, nec esse exhibitionis periculum, curamque raro felici successu carere (Emmenol. p. 120). Opii virtutem emmenagogam non esse antispasticam, verum a vi attenuante dependere idem declarat: admodum enim attenuare, et rarum facere sangvinem (l. c. p. 120), per Sal suum volatile calore adaucto esse diaphoreticum potentissimum, emenagogum praestantissimum; Laudanum enim idem observavit sangvinis extra vasa coagulationem impedire, unde concludit, eundem effectum motu simul juvante intra vasa altiore gradu praestare debere (Emmenol. p, 142); a Laudano liquido Sydenhami et Panacea Opii liquida Jones canum venae jugulari injectis demortuorum sangvis supra, quam credibile est, rarus et tenuis, rutilusque observabatur, vasa sangvifera insigniter distenta, cor. quasi aqua elotum,

membraque tarde rigescebant (ib. 146. seq); notat tandem auctor idem, Panaceam Opii liquidam Jones Syrupum violarum viridare, plerorumque aliorum emmenagogorum instar (ib. 146). Addit tandem, tincturas spirituosas minus attenuare, imo coagulare non a soluto, verum a solvente, ita ut cum tinctura Opii spirituosa sangvinem parum concrescere faciat, Opium vero hunc effectum Alcoholis impediat (p. 144), potius solvens hoc in casu sit Aqua vel Vinum (p. 145). — Non vero solum in suppressis, imo etiam in mensibus nimiis, praecipue feminis sensilioribus, spasmo obnoxiis, praecipue hystericis bono eventu Whytt Opium exhibuit (sämmtl. Werke p. 526). — Idem quoque de Lochiis valet: lochiorum enim retentorum tincturam Opii Crocique mixtam inter praestantissima esse remedia observat Linné (Amoen. Acad. VIII. 298); in nimiis, a secundinis forte retentis, valere Opium Tralles asserit, et sensilioribus exhiberi poterit eventu secundo exspectato. — At plurima Opio laus fluxit e tractata Metrorrhagia s. Haemorrhagia uteri speciatim, cui quidem activae, hypersthenicae (alioquin rariori) non convenit, alteri vero convenire auctores multi laudati plurimum celebrarunt praecipue ei gravidarum et puerperarum: Young, Tralles, Gartshore, Starcke, Mursinna (von den Krankheiten der Schwangern 1-) Leroux (in der Sammlung

f. pr.

f. pr. Aerzte IV. 656). Non quidem Opium generatim adhibendum esse opinatur Jahn (II. 266), quod utique scientiae consentaneum est: valebit Opium speciatim in Metrorrhagia a causa spastica (remota, aut locali: et ob hanc causam id maxime laudat Vogler, cum saepe cum affectione hysterica decurrat), a causa locali, non tamen inflammatoria (Iahn l. c.) oborta: in eadem dolorosa, atque metu abortus imminentis Opium exhibuere Whytt, Mellin et Askow: hic quidem cum acido sulphurico diluto; in Metrorrhagia nimia, diuturna, debilitate sensim ingruente, multumque increscente, extremitatibus frigidis Young plurimum convenire Auctor est. Feminis debilioribus, praesente pulsu parvo, celeri, tenso Jahn (II. 244), tensione doloreque dorsi atque abdominis, debilitate, tremore, frigore artuum, nisu humorum in uterum (quod symptoma abortum praecedens esse ait) idem Auctor Opium indicari observat (II. 245) mixtum acido sulphurico tenui, aut alumini, e. g.

R. Aquae Cinnamomi simpl. unciam sesqui.
Elixirii Vitrioli guttas viginti.
Opii puri grana tria.
M. D. S. Dosibus tribus per duas horas sumendum.

aut sequente formula:

R. Essentiae Cinnamomi drachmas tres.
Laudani liquidi Sydenhami drach. unam.
Elixirii acidi Halleri scrupulum unum.
M. D. S. omni hora dimidia sumantur
guttae triginta cum theatu
Cinamomi aut Citri (Jahn II. 246).

Praecipue vero Metrorrhagiae post partum orienti aromatica et roborantia accedant adjuvantia, cum virium jactura citissime increscat, adeo ut incitatio mox augenda sit: tunc prae Elixirio Halleri valet illud Vitrioli Mynsichti. Saepe Jahn Alumini junctum exhibuit:

R. Aluminis crudi grana quindecim,
Cinnamomi grana quinque,
Opii granum semis,
M. D. S. Pulvis omni hora sumendus.

Externa quoque roborantia dentur (Jahn II. 247). Tandem morbo a placenta uterina vel tota, vel partim relicta oborto conveniens Opium esse asserunt Young, Tralles, Gartshore, et Starcke: causa tamen praefata mechanica ante

usum Opii auferenda, nisi uterus spasmo contractus ob haemorrhagiam internam pertimescendam urgeret (Jahn II. 244). — Tempus Opii dandi designat antiquior Crantz esse initium haemorrhagiae descriptae, partu tamen instante potius partum procurandum, quam Opium dandum esse suadet (Mat. med. III. 18); at alia mox patebunt sententiae huic minus faventia. — Dosim Opii dandi omnes fere Auctores praeferunt minorem, saepius repetendam (Jahn II. 244), praecipue Mellin, qui ex observatis defixit grani unius sextam, aut quartam partem omni dimidia aut altera hora exhibitam plus efficere, quam granum unum aut duo omni sexta, aut octava hora propinatum: cui Auctores Commentarii in Pharmacopoeam Austriacam emendatam (Erl. oestr. Pharm. I. 355) assensum praebent. Aliis autem, Anglis utpote audacissimis doses praemagnae praeplacuere! Percival quidem intra horas triginta sex grana Opii viginti duo exhibuit! quod forte solum in spasmis et doloribus summis caute, atque effectu progressivo fideliter observato valebit. — Additamenta convenient in Metrorrhagiis praecipue gravibus, continuantibus ex aromaticis Cinamomum, e roborantibus Haematites, ex adstringentibus Alumen, Elixirium acidum Mynsichti, acidum Halleri, acidum Vogleri, imo iterum audacissimo Anglo Georgio Williamson duce (in Harlesii Journal der ausländischen

Literatur II. St. 1) plane Saccharum Saturni! — Alia est circa uteri functionem summam Opii virtus, qua partum, data conditione, alleviare scitur. Dolores enim feminarum gravidarum parturientium ad partum juvare observarunt Whytt, Askow, Morgan, Mellin, Petrus Copland, et Josephus Frank (in ratione instituti clinici ticinensis); eo indicatius quidem illud esse censent, dum abortus metui potest, adeo ut metu tali fundato praesente adhuc ante haemorrhagiam obortam dari suadeat Tralles, qui aperte dilucidat, eam Opio inesse virtutem, qua dolores spurios leniat, auferat. Parturientibus tale levamen optimum adferant clysmata opiata e sententia Petri Copland (in med. facts. IV. 118, et in Sammlung f. pr. Aerzte XVI. p. 178, aut in Römeri Ann. d. AML): clysmata optime speciatim indicari, si dolores abdominales, et circa umbilicum adsint, non inflammatorii, si sub doloribus auctis Metrorrhagia ipsa augeatur, observat Whytt (über die Nervenkrankheiten). — Imo tandem addit Auctor idem post abortum praesentibus doloribus intensis abdominis dorsique, absque inflammatione Opium interne exhibitum plus valere omnibus adstringentibus fortioribus.

Ad profluvia, atque retentiones mixtas, in quibus Opio locus est,

spectant Emesis, Cholera, Diarrhoea, Dysenteria et Lienteria. — Morbis generatim intestinorum, omnium tamen maxime, ubi circa medium Seculi decimi octavi rarius aut vix ausi fuere, in profluviis intestinorum, multum adbibitum fuit Opium, et cum profectu a cautioribus exhibetur. Generatim quidem Opium in morbis intestinorum adhibendum esse censent Auctores therapeutici praesentibus spasmis, doloribus continuis exhaurientibus, absentibus sordibus, ita, ut morbus ab irritabilitate dependeat exuberante (Jahn II. 242), seu paucis, si is nevrosim essentia sua constituat. Generatim tunc valere doses minores repetitas Auctor est Röschlaub, qui sub initium addit mucilaginosa, sub decursu amara, in fine vero aromatica; potionem Riverii Opio jungit Selle. In Hyperemesi, Hypercatharsi ad Spirituum ataxiam coërcendam, motum, periphaericum restituendum generatim uti solebat Sydenham. Non valet Opium in profluviis criticis, dum vitalitas sordium eliminationem intendit (Jahn II. 296). — P y r o s i s vix non unicum remedium fidum esse exponit Commentarius Pharmacopoeae edinensis (N. edinb. Disp. I. 453). — Contra H y p e r e m e s i m s. vomitum nimium jam longo abhinc tempore feliciter adhibetur Opium; qua praesentaneum remedium adhibebatur a Sydenhamo (II. 418). Valet vero illud, dum morbi causa est hypererethismus ventriculi atque

intestinalis tubi vicinioris, unde nisus nonnunquam ad vomendum vix sopiendus oritur, e Bang; dum morbus non a materiali (sordibus, cruditate) dependet, e Tralles. Status is sensilitatis exuberantis saepissime feminarum gravidarum est, quibus doses parvas saepius repetitas convenire observabat Young; at communius est has absque fructu exhiberi, tunc absentibus tubi intestinalis sordibus vix non unicum remedium est sangvinis missio. Adplicatio fiat saepe externa, quae tunc unica sit, cum ventriculus sensilissimus vix aliquid fert, ut metus ejiciendi per emesim remedii adsit. Hyperemesim probabilius a refrigerio ortam, absque cruditate, feminae senis spasmis obnoxiae, omni minuto vomentis Hahnemann momentanee stitit linteo tinctura Opii irrorato, super scrobiculum cordis posito, ubi Opium ore sumtum emesim augebat, nec clysmati locus erat; eadem ratione adhibitum sistit emesim symptomaticam ante variolarum humanarum eruptionem (n. edinb. Disp. I. 450); Vogler anodynum ex Opii scrupulis quatuor, olei olivarum scrupulis viginti super panno ad semel adplicito laudat, cujus etiam vehiculum, oleum nempe, spasmos leniat; alii emplastrum simplex aliquod Opii granis quatuor ad decem permixtum, alii fomentum opiatum ventriculo imponi jubent; tandem clysmata valebunt Opio pauco mixta, eademque parva, ad uncias tres quatuorve. —

Cholera's. Emetocatharsis (Gallenruhr) in Opio solamen invenit, dum a Hyperaesthesi derivet, nec sordibus primarum viarum stipata sit. Choleram, absque sordibus praecipue requirere Opii usum internum atque externum, et quidem instantaneum, observatio est Quarini (Animad. in morbos chr. p. 206). In cholera post acre stimulans ejectum irritabilitate tamen auctiore persistente Swieten adhibuit Opii grana duo ad tria in unciis Aquae quatuor soluta, omni quadrante aut integra hora cochleatim. Verba Linnei huc faciunt sequentia: „in cholera horrenda, quae brevi tempore vires vitae exhaurit, medicus deplorandus est, qui ad Opium non confugit, idque sufficiente dosi porrigit, dum certius nullum hucusque inventum sit remedium (Amoen. Acad. VIII. p. 298)"; ejusdem opinionis: unicum fere cholerae securum remedium esse Opium, sunt Auctores Commentarii in Pharmacopoeam edinensem (N. edinb. Disp. I. 453); cholerae praestantissimum in Indiis orientalibus Opium esse remedium refert Bontius (p. 3. 23). Crantz (anno 1775 in Mat. med. tomo III. p. 17) observat in cholera granum Opii unum alterumve in aquae menthae unciis quatuor cochleatim datum, idemque lacte solutum proque enemate injectum „incantamenti instar tenesmum supprimere". Potum panis avenacei simplicis tosti cum Opio feliciter exhibuit Douglas. At summus

in profluviis observatis curatisque Auctor nunc audiatur Sydenham, qui alioquin post omnes motus purgantium atque vomitoriorum, ad spiritus compescendos, Opium exhibuit. Observavit is, in cholera purgantia sola, aeque uti opiata sola ab initio morbi non convenire; idem tamen felici semper eventu exhibuit potus atque enemata mucilaginosa gummosa, at post horas tres quatuor pro coronide Laudani sui liquidi guttas quindecim in mixtura (I. 176); aliis tamen in epidemiis fortiora solum et saepius repetita profuere: sic anno 1676 cholera cum convulsionibus decurrente, pulsu et viribus minimis immediate exhibuit pro dosi Laudani liquidi guttas vigintiquinque in Aquae Cinnamomi cochleari, easdem repetiit adauctas per intervalla, quibus sedulus scrutator lecto adsidens effectus remedii observabat, donec symptomata effera cessavissent (II. 296); aegro alteri vomitionibus atque dejectionibus exhausto, extremitatibus frigidis illico Laudanum liquidum porrexit, illudque mane et vesperi repeti jussit, usque ad restitutionem (I. 177). Vehiculum Laudani paucum, et quiete aegri Opium juvare necesse esse monet idem (II. 296). — Obstipationem alvinam refractariam a spasmis ortam, absque inflammatione Opio purgantibus juncto saepe optime curari refert Segniz (II. 187). Diarrhoeae curandae Opium adesse debet in casibus praefatis: hic

enim symptomatice evacuantur utplurimum sordes, hisque ejectis Opio utplurimum est locus, adeo, ut diarrhoeis symptomaticis gravissimis utilissimum sit (N. edinb. Disp. I. 453); idemque valet in casu diarrhoeae non criticae, a laxitate intestinorum dependentis, praecipue violentae aut diuturnioris! idemproficuum est in diarrhoea variolosorum, ob servante (in hist. med. p. 278) Freindio supra omnes res. In Diarrhoea colliquativa phthisicorum Opium porrigere interest aut forma ungventi, aut saepissime clysmatis, optime ad methodum Swietenii:

R. Terebinthinae drachmas duas,
Vitellum ovi, numero unum,
Theriacae unciam semis,
subactis sensim adde:
Lactis recentis uncias quatuor.
D. S. pro Clysmate.

Pro diarrhoeae suppressione exhiberi suadet Hufeland essentiam Opii cum ea Croci permixtam. — Hepatirrhoeae s. fluxus hepatici, Indiae orientali consuetiorem, praestantissimum esse remedium asserit Bontius (p. 24) Opii solutionem atque Croci etc. aceto extractam; Opium vero ervi magnitudine assumtum auxiliari coeliacorum valetudini auctor est Dioscorides (ed. Matthioli p. 745).

Si ullibi Proteum egit Opium, eum quidem in Dysenteria observatoribus exhibuit, effato Jahnii (II. 237), dum illud alii salutare, imo divinum, quo referas Sydenham, Richter et Vogler, illud alii diabolicum renunciarunt, uti Zimmermann et Mursinna, Hahnemannque omni in casu (n. edinb. Disp. I. 453); si quaeras, qua de causa? hanc non in remedio, verum ingenio atque methodo observantis invenias. Integri super hoc objecto libri legi merentur: prae caeteris Zimmermann, Mursinna, Brüning, Vogler, Horn, Wedekind propriis super dysenteria scriptis operibus clari, et Richter atque Jugler in observationibus medicis separatim, alii vero in Hufelandi Journal editis, quo Hufeland, Michaëlis, Klimpe, Hargens et Wendelstädt spectant. Morbus intestinorum utplurimum subinflammatorius (quem rheumaticum, aut catarrhalem dicunt) variat causa, indole, complicatione; haec quidem momenta iterum variant genio epidemiae, annique, et tempore, quod recentiores minus, ac antiquiores distinguunt. Difficilis hinc Diagnosis, remedium anceps, experimentum periculosum. At tria esse cardinalia dysenteriae momenta sapienter monet Jahn (II. 238): spasmum, inflammationem, sordes: rarior enim est status morbi malignus, putridus, nervosus, qui praeter fontes dictos propullularet; hinc adeo-

que character morbi, hinc methodus therapeutica fluit, Opio reverentiam aut abominationem distribuens (Jahn ibid). Dicam prius de contraindicationibus, ut, quid Opio relinquendum, tribuendum mox pateat.

a). Non valet Opium, in statu inflammatorio intestinorum: dolore horum fixo, continuo, tenesmo vehemente, alvo dejecta parca, mucosa, sangvinolenta, absque levamine, urina pauca, praerubra, quae symptomata dysenteriae sunt siccae (Jahn II. 238); his interdum majora, expansiora accedunt: cardialgia, vomitus, os et trachea sicca, oppressio pectoris, et anxietas, cum pulsu celeri, duro, aut pleno. Opiata hic porrecta, quod antiquiores timuere, adducerent: post dolores nempe imminutos tardius augerent intestinorum dolores, calorem febrilem, tenesmum, et alvi suppressionem, vires evacuationi incumbentes infringerent, praesente adhuc materia eliminanda: paucis nempe ad mentem Huxham atque Swieten inflammationem augerent, sordes vero retinerent.

b) Non valet Opium in Dysenteriae statu gastrico (nisi forte Opio tempus actioni aliorum remediorum, induciis pactis, procurandi animus esset). Noscitur status hic

lingva mox ab origine morbi sordibus tecta, sapore oris ingrato, amaro, oppressione scrobiculi cordis, alvi depositionibus cum levamine accidentibus, urina turbida serosa, pulsu intermittente parum alienato (Jahn II. 239).

c). Non valet Opium in statu morbi nervoso, putrido: labiis, lingva sicca, alvo copiosa in dissolutionem prona, imo nigra, cum typho putrido, debilitate muscularis systematis magna, et epirrhoea cephalica (Jahn II. 241), quae Opio intacta maneant vel maxime. Vogler quidem praesente febre putrida Opium caute adhiberi suadet, at plane fugiendum demandat, si oris siccitas, emesis et flatus copiosi, anxietas atque cephalaea adsint. — Nimis certo usum Opii extendit Voigtel, qui in dysenteria generatim ei locum esse asserit: febri quidem seu synochali seu typhosa comite; in statu catarrhali, rheumatico, spastico, doloribus magnis, tubi intestinalis irritatione summa, pauca tamen evacuatione. Hic iterum videas Opium generatim laudari, imo a primariis practicis Bontius (p. 3. et 23.) dysenteriae praestantissimum remedium salutat; Willis (Pharm. rat. p. 164) asserit effectus dysenteriae sine Opio vix curari posse, idque necessarium esse ad spasmos excretorios sistendos; Haller dysen-

teriam vix absque Opio curari auctor est; imo post plures cautelas summus Sydenham sic sentit: „experientia constat, dysenteriam ci„tissime curari, si missis ambagibus (primum „exhibitis evacuantibus, dein vero acrimoni„am obtundentibus) fluxus Laudano confe„stim sedetur" (Op. II. 53.)! Ante omnia quidem vitalitatis ratio ineunda est:

a). Dysenteria evacuationes sistens a sensilitate abnormi effera curabitur sensilitatem deprimente primario = Opio. Hic Opium cum Camphora et Ipecacuanha (adeoque qua Pulverem Doveri) exhibitum laudat Selle, Pulverem Doveri solum alii. Status nervosi acme videas in aegroto debili, pallido, extremitatibus mox ab initio frigidis, alvo copiosa graminea, foetidissima, cum doloribus imo deliquio animi, dejectis, sudoreque frigido. Nunc Opii doses parvae repetitaeque cum Camphora, Moscho, Arnica praesto sint (Jahn II. 241). Minorem gradum sistunt morbi dolores continui, inquietudo stimulusque perpetuus, ubi Opii doses parvae repetitae valent, et proficua esse potest mixtura Vogleri (Pharm. selecta) etiam a Jahnio (II. 240) multum laudata:

R. Aquae florum Sambuci uncias quatuor,
Specierum Diatragacanthae scrup. duos,
Spiritus Vitrioli scrupulum unum,
Opii puri grana duo,
Olei Olivarum
Syrupi Althaeae ana unciam semis.
M. D. S. omni hora cochleare unum sumatur.

b). Opium valebit Dysenteriae curandae statu inflammatorio absente vel imminuto. Efficitur id decurrente morbo: febri jam multum decrescente aut nulla, lingva munda, pectore libero, intestinis fere paralyticis e Mursinna; arte vero efficitur status idem venaesectione, hirudinibus, fomentis emollientibus; dein locus est Opio (Jahn II. 241), cui hic accedant Nitrum, Sal ammoniacus, Calomel, et emollientia. Huc spectant curationes Sydenhami, in quibus post venaesectionem et lene catarthicum exhibuit paregoricum, et dehinc catarthicum atque paregoricum alternans, imo et diebus liberis exhibuit pro haustu guttas sedecim ad octodecim in aqua cardiaca (I. 183 seq.), communiter tribus vicibus (ib. 184); morbo vero intensiore nec fluxu cessante dietim ter guttas viginti quinque (I. 184). Adnotat tandem Opium nocere in febri dysenterica purgationi-

bus interjecta (I. 193), nisi post dies duas tresve ab extrema purgatione, viribus valde fractis, semel exhibitum (I. 194). Valebit certe Opium, si morbus absque inflammatione et febri topicus decurrat, tardius quidem accedente dolore, stimulo, inflammatione et febri (Jahn II. 241).

e). Opium statu gastrico absente valet. Ad hoc punctum observatorum effata plurima spectare mihi videntur, qui Opium in auxilium artis vocant post venaesectionem aut purgantia pro se, aut post ea tentata. Pringle post venaesectionem, post purgantia, Salia, et Mannam, Tralles post evacuationes, post purgantia Stoll (hic quidem in- et externe) Opio utendum esse suadent; inque pluribus epidemiis dysentericis post purgationes primum ad Opium confugiendum fuit. Huc facit observatio Freindii (hist. med. p. 159): Opium non in origine Dysenteriae exhibendum esse, ea Bergii (Mat. med. II. 484), cum restrictione exhibendum esse, cum symptomata mitiget absque stabilitate atque effectum evacuantium potius retardet, imo morbum potius antimonialibus curandum esse; tandem icon Mursinnae: Opium convenire, dum lingva pura, pectusve liberum, febris parva, debilitas magna, tubus intestinalis vix distentus. Quidam prudenti pro statu morbi consi-

lio purgantibus aut emollientibus, aut imo tonicis Opium jungunt: Oleo junxit Haen, guttas Laudani liquidi quindecim tincturae Rhei guttis quinquaginta Mursinna; post ea aut cum purgantibus lenibus exhibito observarunt dolores leniri, et tenesmum, et posthumam intestinorum laxitatem minui Auctores Commentarii in Pharmacopoeam edinensem (N. edinb. Disp. I. 453); cum gummi arabico, cum oleis aromaticis, cum aromatibus jungi suadet Voigtel, Cinchonae junxere Morton et Monro. — Ad haec principia epidemicae dysenteriae pertractandae venient: symptomaticis quidem, febris inflammatoriae, biliosae, putridae comitibus, rarius et post alia Opium accedat; dysenteriae cruentae, cui cum torminibus decurrenti jam suo tempore Willis Laudanum cydoniatum cum Theriaca et conserva rosarum et syrupi sufficiente quantitate opposuit (Pharm. rat. 178), rationem ad sensilitatem et inflammationem emensam habebimus. Communissima vero dysenteriae varietas: rheumatica s. Rheumatismus intestinorum Stollii ab antagonistica cutis et intestinorum functione perturbata (a perspirabili intestina vellicante!) curabitur prima habita inflammatorii status ratione, dein exhibitis Opiatis cum Ipecacuanha et antimonialibus, accessorio mucilaginum adjutorio. Vogler hic laudat formulam sequentem:

R. Aquae

R. Aquae florum Sambuci uncias quatuor,
Specierum Diatragacanthae drach. unam,
Radicis Ipecacuanhae grana quatuor,
Opii puri grana duo,
Syrupi Althaeae unciam semis.
M. D. S. omni hora sumatur cochleare unum.

vel R. Pulveris gummi arabici
— radicis Liquiritiae
ana grana decem,
— radicis Ipecacuanhae granum semis,
— Opii grani quadrantem
M. f. Pulvis.
D. tales Nro —
S. omni bihorio sumatur unus Pulvis.

Majore dosi Jahn (II. 242) vix effectum optabilem, imo cophosim, aut aurium susurrum, quod Sims notavit, non observavit. Compliciorem suadet Jahn curandi methodum, cum Opio addat sub initium morbi Mannam, Tamarindum et Olea, sub decursu Calomel et Camphoram, sub finem vero Cascarillam et Nucem Vomicam. — Data opportunitate Opium in- et externe porrigatur; ultimum quidem inunctione justo rarius, et in clysma-

te saepius solito fit. Clysma opiatum tenesmi sedandi causa commendat Clarke e guttis Laudani liquidi quinquaginta cum Oleo Lini, aut Amylo; utrumque bene conjungit Vogler, ad sequentem formulam:

R. Opii puri granum unum,
Amyli drachmam unam et semis
superfunde aquam initio
frigidam, dein calidam sub
tritura, tandem mixtum
ebulliat semel; residuo
unciarum decem adde
Butyri recentis non saliti unciam semis.
D. S. pro Clysmate.

Segniz (IV. 117) idem remedium in diarrhoea antiquiore, vix non in Lienteriam degenerante laudat, cui tamen Catechu scrupulus adjectus sit unus. — Tempus Opii dandi vidimus esse aut post praevie facienda facta, aut illico ab origine morbi, quod fidus observator Sydenham audacius suadet (II. 531). Imo Opium conveniens morbo mox dandum esse optimi quique notant scriptores; Vogleri est sententia: Opium exceptis contraindicationibus mox sub initium morbi dandum esse; Voigtelii, mox a primis doloribus colicis, alvo prima tetri coloris; Jahnii tandem (II.

239), cum fine morborum parum agere, nec a metastasibus praeservare! Sic per dies plures, imo octo continuato usu Opii morbum esse supprimendum statuit Vogler. Speciatim Sydenham monet (II. 522) a hypnoticis cavendum esse ante somnum porrigendis, si sequenti mane purgandum sit, nam Opium purgantium vires infringit, et alvus non est turbanda! — Dosis generatim sit parca, et repetita: larga statim dosis exhibeatur, ad mentem Vogleri; alias tamen ut plurimum valent doses parvae, e Gilbert, Vogler, Jahn, Marcus, qui a dosi minore plus quam a majore boni observavit; generatim dosim in unius grani parte quarta defigit Jahn, ita, ut a majore vix boni quid sperandum sit (II. 242), nisi spasmus atque tenesmus nimium furerent, quum granum semis usque unum vesperi dandum idem suadet (ib.); doses parvas repetitas multum proficere praesentibus doloribus, inquietudine, stimulisque perpetuis auctores sunt Jahn et Vogler, qui easdem frenandas judiciose commendant in statu morbi nervoso graviore (Jahn II. 241). Non parvi forte est observatio Linnéi (Amoen. acad. VIII. 299), qua is Opii usum in dysenteria maximi momenti esse ait, nimium tamen Opii usum simul efficere, ut aegrotus debellato morbo diutius tormina sentiat! — Viri hujus in suo genere unici effatum, causalitatem morbi et curae concernens, colophonem dissertationi

impônat justum, cum levissima supremasint: statuit nempe is Dysenteriam oriri ab Acaro dysenteriae Linnéi, et narrat (Amoen. acad. VIII, 298) observationem discipuli sui Rolander, hunc Acarum necari tinctura Opii — dehinc morbum ipsum! Sit reverentia mortuis!

Vermes interdum Opio expelli auctor est Haen (tract. de vermibus intestinalibus p. 57), post spasmos a vermibus excitatos sedatos; an forte insuper ob stupefactionem, quam cunctis animalibus producit, etiam vermibus communicatam?

7. E Cachexiarum ordine, non satis fundato, morbis duobus Opium occurrere novimus; nec his quidem originarie: Syphilidi nempe atque Phthisi.

De Opii in Syphilide usu ab anno 1777 multum scriptum est, auctoribus primis Tode, Guilielmo Thomas, Joanne Schöpf, Michaelis atque Noth: hos inter caeteros secuti sunt Hagström, Thuessink, Pasta, Arnemann et Souville. Annis praecipue Seculi decimi octavi octagenariis rumor Opio tribuebat laudem specifici contra hunc morbum alterius, penes Hydrargyrum. Addebatur facti

necdum stabiliti explicatio; hypothetica: Syphilidem esse inflammationem typhosam, quae Opio curaretur! At nec idea morbi est justa, nec morbus Opio curatur. Post copiosam enim experientiam a Scotis pluribus, praecipue Cullenio, et Monro decisum sequebatur: Syphilidem Opio non curari, mercurialem curam Opio longius atque potius prolongari posse, quam sine eodem, symptomata quaedam morbi Opio leniri, et plurimum esse Opio copioso locum, dum Mercurialium vis exhausta est, quum Opio perficitur, quod Mercurialia nequivere (Donald Monro II. 182); tandem Mercurialium actionem Opio accedente juvari, accelerari (Cullen, referente N. edinb. Disp. I. 454). Nimium adeoque dixisse patet Michaelim (in Richteri chir. Bibl. VI), se interno Opii usu curasse syphiliticos bubones, cancros solidorum mollium aeque ac durorum, cujuscunque loci, herpetem, condylomata, doloresque osteocopos; qui tandem curarum proportionem definiit, se habere ad non curatos aegros uti 3 ad 1! At vis antisyphilitica Opio non inest, adeo ut character syphiliticus solo adhuc Hydrargyro sufferatur. Opium generatim convenit in asthenia apyreta, aut febrili, irritabilitati auctae, quae indicatio anno 1785 propria dissertatione ab Anglo Chirurgo A. Grant defixa fuit, convenit morbis syphiliticis localibus inflammatoriis multum dolentibus, aut spa-

sticis: blennorrhoeae, phymosi, paraphymosi, ischuriae spasticae, orchitidi, ulceribusque venereis dolentibus, in quae tamen non dolentia vix agit. Indicatur adeoque doloribus praesentibus spasmisque magnis, qui morbum facile augent, quique postremi virus fixant (Jahn II. 249. 251); indicatur pro doloribus osteocopis leniendis, imo saepe pro se auferendis (e Cullen), pro complicationibus tollendis (e Bell), atque pro sequelis Syphilidis et curae antisyphiliticae destruendis. Opii adeoque virtus in Syphilidis cura restringitur ad effectus momentosos curae palliativae, laterales adjutricis et posthumae, qualem adjutricem curam alia quoque narcotica praestare novimus, uti Belladonnam, Cicutam, et in doloribus osteocopis praecipue Asam foetidam. Hos effectus praestat qua aesthesim minuens, qua activitatem versus cutim dirigens. Absit tamen inflammationi locali nimiae! Ptyalismi prodromos supprimit Opium (Voigtel II. 2. 286); ipsum vero bene curat gargarisma opiatum (Hunter on venereal diseases p. 361). Diarrhoeam morbo aut cura obortam suffert (Voigtel l. c.). Curam posthumam morbi optime perficit, qui tum aut est irritabilitas abnormis, aut plane mercurialis. Irritabilitas enim abnormiter aucta morbi ipsius saepe sequela, aut mercurialium nimis datorum (quod justo consuetius est), vel nimis protractorum Opio bene suffertur (Jahn II. 249) simulque morbns non amplius

syphiliticus, verum in partibus adfectis lege consuetudinis decurrens. Hanc empirici, reptilium more elemento suo proni incumbentes, saepe nominant Syphilidem rebellem, contra mercurialia nempe, chronicam, in qua Opiata indicata sunt, e causa dicta (Jahn, Voigtel, Don. Monro II, 282). — Ulcera venerea genitalium, faciei caeterarumque partium, dolentia, phagedaenica, praeprimis obstinata curavit Althof Opio exhibito, ea dosi, ut omni die tertia aut quarta uno grano plus propinaverit, tandemque ad dosim granorum triginta per nycthemerum ascenderit; idem tamen in ulceribus non dolentibus effectum non observavit (Althof prakt. Bemerk. p. 90). Vogel iisdem in casibus adhibuit lapidem causticum cum Extracto Opii (med. chir. Fälle Altdorf. t. 3); Bell similiter adhibuit, cum laude; in ulceribus venereis cum Scorbuto complicatis Blom et Odhelius adhibuerunt (Veckoskrift for Laekare t. 3. et 4), tractatuque eodem anno, quo Grant suum publicavit, publice exposuerunt (1785 enim tomus scripti praefati quartus prodiit). William enim Grant circa hoc objectum maxime meritus anno praefato, experientia duce, docuit ulcera venerea antiqua dolentia, in stadio altiore nempe Syphilidis, seu potius quae Syphilis amplius non est, cum morbus posthumus (Hypererethismus) Hydrargyricis et aliis remediis refractarius est, bene curari Opio

ad somni usque excitationem dato, dosi nempe prima grani sesquialterius aut duorum per nycthemerum, adscendendo ad grana quatuor usque octo. Curam juvat diaeta tenuis (D. Monro II. 181), adeo, ut ulcera dietim meliorentur (ib. 184). Agere Opium imminutione irritabilitatis morbosae (ib. 181), acrimoniam seu potius Hydrargyrum ipsum, quod ulcera sustinet, eliminando (ib. 184). Grant observat, Ulcera venerea talia, maligna aliis dicta, praesentibus excrescentiis spongiosis tractavit idem feliciter Opii simul usu externo: miscendo solutionem quandam Opii, Tincturam thebaicam optime cum farina in pultem, ulceri adplicandam. Post eum plures auctores ulcera impuriora cariei juncta Laudano tractarunt eo effectu, ut eadem foetore abolito pura evaserint. — Prouti autem Opium morbi syphilitici posthuma, sic quoque morbum mercurialem ipsum tollere observatione stabilitum habetur (Jahn II. 249, ductore alioquin Grant); imo Hahnemann hyperempyricus solum hunc Opio curari observat (in Hufelandi Journal II. 516). — Dolores osteocopos Opio saepe solo tolli antiquior est observatio, e Willis (loco mox citando), et scriptoribus recentioribus Materiae m. practicae (Jahn, Segniz); in doloribus osteocopis leniendo juvare auctores sunt Sueci Blom, Odhelius, et Wahlbom (loco supracitato). Actionem explicat Hahnemann e sublata vasorum strictu-

ra chronica per Mercurialia producta (apud Don. Monro AML. II. 181 in nota). Momentosissimum talis Curae casum profert Willis (in Pharm. rat. Cap. 2. Sect. 7. p. 166): aeger e Syphilide male curata doloribus osteocopis, nocte exasperatis, atque universalibus ad extrema deductus petiit, euthanasiae causa, sibi Laudanum Willisii concedi, cujus usum Willis de aegroto desperans concessit. At aeger Opiato hoc quotidie utens, dosi sensim auctiore, summaque, obortis largissimis sudoribus et urinae profluvio, sine omnibus aliis adhibitis intra mensem ex integro restituit se! — Bonam his in casibus invenerunt auctores unionem Opii cum Hydrargyro, praecipue in syphyliticis sensilioribus, atque dum Mercurii sublimati corrosivi usus indicatus est; Mercurio suo gummoso junxit Plenck (unde quidam Opio curari Syphilidem qua talem conclamarunt; Lehre von den venerischen Krankheiten. Ed. 2, Anni 1787 in praefatione). Fatetur Jahn (II. 284) vim Hydrargyri quidem antisyphiliticam Opio minui at etiam nocivam, quae dira interdum est. Opio Mercurialium virtutes dirigi, concitari, accelerari atque adjuvari Auctor est Cullen. — Dosis hoc in casu notabilis imo mira res est: generatim enim magna perfertur (Voigtel II. 2. 286 seq.), moxque datis majores aegro conveniunt, adeo, ut sensim augendae sint quantitates. Mox ab initio granum unum, aut duo

mane et vesperi dentur (Bernstein pr. Handb. art. Syphilidis); grana duo mane et vesperi, imo quater per nycthemerum perferri notant Segniz et Bernstein; a grano uno ad quinque ter usque sexies per nycthemerum dedere audaces Angli (N. edinb. Disp. I. 454). Exactior Althof granum unum ad sesquialterum dietim dedit, adscendendo usque ad grana triginta, ita tamen, ut in casu inflammationis ab eodem abstinuerit (pr. Bemerkungen p. 90). Dosim talem drachmae dimidiae aegroti interdum per septimanas continuam perferunt; oborta somnolentia, at interdum etiam nulla; curaque his accidit saepe absque excretione, saepe cum sudoris, urinae, alvi aut salivae fluxu (Michaelis in London Medical Communications, 1784. N. 23).

In Phthisi Opium adhibebatur a diversis. Rejecit id etiam hic, uti et alias Opii inimicus Stahl, asserendo: „per Opium aegro, „etiam jam eximie debili, unius noctis somnum, secunda vero mortem conciliari (Theoria med. vera Ed. 2. anni 1739. p. 766). Phthisi quidem ulcerosae curandae Opium non sufficit, at dispositioni ad eam ex hyperaesthesi auferendae, atque symptomatibus leniendis eximium esse compertum est. Dispositionem phthisicam, tussi longiore se primum exserentem, absente tamen haemoptoë in se

ipso sustulit Meza, uti supra retuli. Symptomatibus gravibus leniendis adhibetur juste, at cum cautela; observat enim Young: facile symptomata augeri inflammatione oborta; in phthisi dato Opio excitari Hydropem (licet Hydropici a dosi Opii detumescant) auctor est Linné (Amoen. acad. VIIJ. p. 299); Opium non posse phthisicis promiscue dari judicat Pitcairn (opusc. p. 114), cum sudores semper excitet, Indicatum erit Opium in Phthisis mucosae stadio primo; in Phthisi ulcerosa id quidem aliqui rejiciunt, at hoc solum sub inflammationis periodo, tuberculorum pulmonalium suppuratione, febri atque debilitate praesentibus consentaneum judico, cum artis magistri summi Opio prudenter et feliciter phthisim lenierint. Post inflammationem finitam, praesentibus tamen infarctibus et congestionibus Opium solum parvis dosibus atque solum Hydrargyro junctum valebit. Symptomatum lenimini, forte solo, inserviet Opium: tussis puta et diarrhoeae colliquativae, productioni vero somni. Hoc sensu illius usum suasit Pitcairn (l. c. p. 114 de Circulatione Sangvinis), Opio Cinchonae juncto tussim supprimi, atque sudorem a tussi (agitatione nempe) auctum. Boerhaave (Aph. de morbis 307) observat, pneumoniae in ulcus apertum transeunti, praeter caetera, occurrendum esse Opiatis vespertinis lenibus a grano semis ad unum pro dosi, Opii pro sym-

ptomatum lenimine usum multum laudat Swieten, qui vesperi Opium exhibuit, scopo tussis leniendae, atque clysmata opiata scopo diarrhoeae supprimendae. Palliativum adeoque Opii usum contra tussim, proque quiete nocturna procuranda plurimi hoc aevo usurpant; licet palliativae tali curae suo aevo Young nullam fidem habuerit, imo nec clysmatibus e Theriaca, Terebinthina, Vitello ovi, et Lacte. Si Opium augeret anxietatem, obstipationem atque stuporem, tunc Hyoscyamum surrogabimus. Reid tandem (Ess. on phthis. pulm. 1785) post venaesectionem Opio supprimere tussim, in secundo vero morbi stadio sola Ipecacuanha penes acidum sulphuricum dilutum atque Opium utendnm esse suadet pro cura Phthiseos fundatiore.

8. Neuroses primarium sistunt Opio campum activitatis, atque praecipue quidem praeter ordines horum duos: debilitates et vesanias, convulsiones atque dolores.

a. Ex ordine debilitatum morbi nervorum rarius Opio curantur. Apoplexiae enim solum asthenicae, ab Hyperaesthesi conveniet Opium (Voigtel), similique hemiplegiae et paralysi membrorum (Matthaei in Hufeland Journ. XI. St. 2. p. 74. 94); cau-

sam enim morbi communissimam, orgasmum circulationis atque epirrhoeam cephalicam, auget, adeo, ut observatio Quarini (Anim. in div. morbos c. 2. de epilepsia), qui sub insultu epilepsiae dato somnum profundum et Apoplexiam obortam vidit, naturae Opii consentanea sit. — Neuroses chronicae, cum charactere paralyseos interdum Opio curatae sunt (Voigtel II. 2. 278): dosi parva, saepius repetita, ut reactio augeretur in Paralysi, Hemiplegia, Apoplexia, Epilepsia, Melancholia, Vertigine; dosi larga, qua reactio minueretur, in Mania, Tetano, Trismoque. — Vertigini a Cerebri debilitate dependenti Opio interdum occurrebatur cum effectu (Voigtel); talique Syncopi, imo et ab Hyperaesthesi oriundo. — Agrypniae curandae ab omni aetate Opium adhibebatur. Notissima haec vis a Dioscoride (IV. 60. p. 775) his notatur verbis: Papaveris capsularum et foliorum Decoctum contra vigilias valet fotu et potu. Valet vero speciatim, dum agrypnia ab anomalia systematis nervosi, a dolore nimio pendet, a debilitate apyreta. Opium ervi magnitudine somnum conciliare auctor est Dioscorides (l. c.) et somnum producere plane sedi suppositum pro balano (ib.); si nullo alio medio somnus aegro, pro sui et adstantium quiete optabilis, procurari valeat, Opii grano uno usque granis tribus porrectis procurabitur, ea nempe dosi exhibita, quae aegro quietum

adferre valeat statum (Jahn II. 209). In agrypnia variolosa Opium supra omnes res proficuum esse asserit Freind (hist. med. p. 278); Agrypniam melancholicam sustulit Prade Opio spinae dorsi inuncto. Prolibus tamen inquietis pro somno conciliando Opium dandum non esse bene monet Gren (Pharmacologie II. 96), cum stupiditatis ansa esse possit. — At non solum in Agrypnia, verum etiam in morbis soporosis, caute tamen adhibito locus est Opio (Linné Amoen. acad. VIII. 297). Nec exculpandus est homaeopathicus Hahnemann, qui in soporosis affectibus Opium soporiferum non omnibus praefert remediis! In Comate quidem variolosorum Opium iterum praecipuum remedium salutat Sydenham (II. 522). — In Commotione Cerebri Opium prodesse, qua sudoriferum observationes Bromfieldi testantur. — Delirium ab arthritide anomala, at cum epilepsia decurrens curavit Percival Opii usu externo (uti Ward in Samml. auserl. Abh. XIX. St. 2); delirium a forti ira obortum, sub primo insultu curavit Opii granis quatuor Young, exemplo vix imitabili!

b. Convulsiones, Spasmique generatim Opium requirunt. Verba Trallesii sunt: praecipuum inter omnia remedia antispastica locum ab omni aetate communi consensu me-

ruit Opium (Virium, quae terreis remediis adscribuntur, examen rigorosius p. 126). Spasmis quidem Opium accedat, cum hi a sensilitate, irritabilitate localiter aut universim aucta derivant; signa causae hujus morbificae sunt pulsus parvus contractus, cutis et extremitates frigidae, facies pallida collapsa, urina copiosa tenuis, et sitis pauca. Spasmi hocce remedio sufferendi sunt, si dependeant a stimulis materialibus invincibilibus ante spasmos subactos (Selle); spasmi magni dolorosi; spasmi decurrentes absentibus sordibus abdominalibus, obortis a suppressa perspiratione, stimulove metastatico. — Absit autem Opium spasmis obortis ab atonia, a causa materiali (praecipue a sordibus abdominalibus), et a plethora: pulsu nempe duro pleno, facie rubra, oculis scintillantibus, hilaritate, aut somnolentia, respiratione vero anxia: Opio adeoque indicato praecedat evacuatio sangvinis et sordium. Absit spasmis ortis aut decurrentibus cum dentitione, exanthematibus acutis febrilibus, et cum Helminthiasi. — Ex indicationum momentis patet, quibus speciatim aegris Opium conveniet: sensilioribus nempe: feminis, omnium maxime gravidis, parturientibus atque puerperis; feminis hystericis, viris hypochondriacis Opium egregie et fere semper bene dari asserit Sydenham; tenellis tandem spasmo affectis. De parturientibus supra dixi, quod partui ju-

vando prosit Opium; sed alios quoque harum spasmos feliciter suffert: convulsionibus parturientibus bene mederi narrat Opio et Kali alternatim exhibito Hartmann; Jahn parturienti contra spasmos vesicae exhibuit intra horam Laudani liquidi Syd. drachmam sesquialteram; idem dedit feminae alteri contra Colicam spasmodicam intra horas duas Laudani liquidi guttas centum viginti (II. 257). Puerorum spasmos a terrore obortos sustulit Mellin, factis evacuationibus sordium, mixtura e guttis Aquae sex et Laudani liquidi Sydenhami gutta una, quam ad duas vices exhibuit infanti mensis unius. — Morbi quicunque spastici Opio tentandi sunt, e quorum serie, praeter spasmos speciatim nominandos, saepius nominandi: coma, asthma, colica, hernia incarcerata, ileus, retentio aut profluvium excessivum mensium, lochiorum, cholera, hyperemesis, diarrhoea, obstipatio, ischuria (Wirtensohn p. 453), dolores ad partum spurii, aut post partum spastici, icterus, singultus, cordis palpitatio etc. Icterum saepe spasticum citissime curari Opio observavit Vogler (von der Gelbsucht p. 61), qui tincturae Opii crocatae partes quatuor Olei Lini partibus viginti mixtas super panno calefacto regioni epigastricae adhibere solebat. Singultum ab hyperaesthesi, absque inflammatione, absque causa materiali Opio curabilem exponit Tralles; palpitationem cordis a

ni-

nimia nervorum sensilitate, a stimulo oriundum Opio sufferri idem observat, et Wolf (in Hufeland Journ. XVIII. 1. p. 84) casum talem curatum refert. Spasmum ventriculi, vomitu stipatum, Extracto Opii vulgari non curabilem, curatum per Extractum Opii aquosum longissima digestione paratum enarrat Baumé (El. de Pharm. p. 301) dosi adscendente usque ad grana quindecim per nycthemerum, qua per plures annos usa tandem sanata fuit aegra, quae nec a Laudano liquido Sydenhami, nec ab Extracto Opii vulgari ullum solamen sensit (ib. 302). Talem Spasmum curatum refert Conradi (in Hufeland Jour. IV. 193). Spasmos ab indigestione ortos Opio curari narrat Commentarius in Pharmacopoeam edinensem (N. Edinb. Disp. I. 454). In Casibus spasmorum abdominalium valent inunctiones solutionum opiatarum in ventriculum, in abdomen, et clysmata opiata. Spasmos tandem uteri leniri Opio pluribus observationibus constabilitum habemus: tales post partum praesentes absque materia, absque inflammatione curari Opio cum Castoreo vel Sulphate Zinci exponit Jahn (II. 260); a sensilitate nimia obortos Opio cum oleis et purgantibus curavit Huxham (Op. omn. III. 76); tales tandem uteri colli sustulit Osiander inunctione olei Opio juncti. — Dosis Opii pro spasmis sufferendis diversa est; magna saepe est necessaria, et enormis, imo excessiva saepe prae-

fertur, speciatim quidem in Tetano, de quo mox dicam. Generatim sensiliores juvant potius doses parvae repetitae, quales Jahn feminis hystericis, aut parturientibus exhiberi suadet, sic, ut dosim omni hora grano uno augeat, donec morbus minuatur, quum tempus intercalere longius protrahit (Jahn II. 257). Aliud notabile est momentum dosis, quod refractae magis stimulent, quam leniant; hinc in spasmis majoribus illico major dosis danda est, cum Opium primum irritet, dein spasmum leniat. Sagax et doctus iam suo aevo Young Laudani liquidi Sydenhami guttas quinquaginta ad sexaginta in oleo exhibuit pro dosi, cum observaret dosibus minoribus spasmos potius augeri. — Additamenta Opii in spasmis curandis generatim sint antispastica: Ammomium subcarbonicum pyro-oleosum (Sal Cornu Cervi), Valeriana, Naphthae; Hillary addi jubet Flores Zinci, Cuprum ammoniacale, Moschumque, in Indiis calidissimis cum fructu Mercurium dulcem addunt. Jahn (II. 273) e mixtura partium aequalium Essentiae Valerianae, Naphthae aceti et Laudani liquidi Sydenhami exhibuit guttas triginta pro dosi.

Tetanus, horrendus utpote spasmus, per rariores medicos Opio curabatur; quaerit Jahn (II. 258), an causa sit dosis parva ab

anxiis medicis exhibita? cum hic morbus semper magnas, imo summas et ferat et exspectet doses. Inclarescens hoc morbo curato Rush asserit, hic solum magnas quantitates exhibendas esse, et sic quoque ex aegris quinque solum unum curari! Granum unum usque quatuor omni trihorio Piderit, potius omni hora Jahn (II. 258) exhiberi suadet. Magnas doses hic perferri narrat Tode (Bibl. II. 1. p. 360), Hufeland (Journal I. p. 281) et Contasti (in Bull. des Sc. 1809. Octobre). Imo protractus usus, grani unius omni bihorio, imo ad grana duodecim quotidie data per septimanas non nocent, verum leniunt et roborant. Angli audaces horrendas doses exhibuere in tetano (debilitate indirecta Brunonis) utrarumque Indiarum, praecipue occidentalis, ubi intra viginti quatuor horas saepe quatuordecim Opii grana exhibentur secundum Gloster (Transactions of the American Society at Philadelphia I. in Phys. art. 2. p. 317), qui ipse in tetano cum trismo conjuncto intra octodecim horas exhibuit Opii grana nonaginta cum Moschi granis triginta! Don. Monro (prael. med. in Cronii instit. 1776. 8) refert casum, in quo per nycthemerum grana Opii centum viginti exhibebantur; alii de T i n c t u r a e O p i i intra nycthemerum datis granis centum viginti, de porrectis intra dies septemdecim granis mille septingentis, imo intra nycthemerum unciis viginti aliqui loquuntur (Jahn II. 256).

Talia apud nos nec aegrotis, nec prudentiae medici ullatenus conveniunt. Quidam curam externam internae jungunt, dum balnea initio tepida, tandem morbo increscente frigida adhibent (Jahn II. 258). In tetano et trismo usus Opii alternans cum eo Calomelis valet (Hartmann Pharm. dynam. II. 287); utroque in casu unicum fere, cum Calomele, Opium esse remedium fatetur Piderit. — Opisthotono et spasmo cynico doses aeque largae conveniunt (Tralles). Trismum puellae spasmis junctum ab herpete suppresso curavit Ferriar exhibito mixto ex Opii puri granis decem, Camphorae Moschique ana scrupulo uno, pro dosi ante insultum singulum. At communissimus aevo nostro bellicoso invalescens trismus traumaticus (a vulnere, maxime sclopetario ortus) Opio copioso bene curabilis est. Largae et hic doses requiruntur: Piderit curam perfecit dando extracti Opii aquosi granum unum usque quatuor omni trihorio, inuncto simul ungvento mercuriali tempore duarum septimanarum; idem Opii granum unum Moschi granis quatuor aut octo additis porrexit aegris. Eximium hoc in casu Opii usum laudat Berends, Buhr (in diss. de usu Opii chirurgico), Moore in trismo a vulnere sclopetario (Med. Communications of Edinburgh. Nro 11); egregios a largis dosibus effectus viderunt Clephane Macauley (Med. Bemerk. I. p. 116), Sylvester, Huck, Farr, alii.

accessit essentia quinta Opii (de morbis ament. l. 2. p. 502); eadem ratione maniam quoque (ib. 501). Morbum hunc puerorum post catharsim et venaesectionem curavit Sydenham exhibitis pro dosi guttis Laudani sui octo, tractatione tali alternante terve quaterve (Op. II. 527. 596); eundem sustulit Lullier totius corporis tinctura thebaica inunctione (Journal gen. de la med. 1808. Decembre).

Hydrophobiae Opio curatae casum nullum refert Historia Medicinae; nam licet Nugent (Essay on the Hydrophoby. London. 1753. 8) referat se aegram hydrophobicam ope Opii Moschique junctorum curasse, tamen aliud hujus curae testimonium nullum affert, et Percy asseverat, aegrotam Nugentii hydrophobicam non fuisse a cane rabido demorsam! quocum consentit Nugentii opinio: Hydrophobiam esse Hysteriae varietatem, quod ipsi pro Hydrophobia spontanea s. hysterica concedemus.

Hypochondriasis et Hysteriae remedium interdum est Opium. At quibusdam hystericis nocet, uti plethoricis, obstructis, sedentariis, bene pastis: his conveniet Asa foetida, Valeriana et Chamomilla (Jahn. II. 254); feminis nempe plethoricis, viragi-

que; at nec a magnis quantitatibus exspectat bonum Rowley. Anno 1800 Stütz inclaruit methodo trismi traumatici nova curandi, qua is, ad ductum experimentorum galvanicorum Humboldti, Opium alternatim cum Kali carbonico ingeri, atque extus balnea Kalina adhibere jussit (Stütz in Hufeland Journal XV. St. 4. p. 5. seq. et med. chir. Zeitung 1800 I. 81. 322. IV. 262), sicque tetanum, opisthotonum, trismumque sufferri docuit. Curatio haec pluribus successit, aliis vero minus.

In Epilepsia Opium rarius utile visum; imo obest praesente plethora, turgescentia vasorum, epirrhoea cephalica, functione organorum abdominalium laesa, morbo a vermibus oborto; non prodest, dum morbus, uti solet, a vitio organico locali oritur; illud rejicitur ab aliquibus, dum affectus irae ansam dat. Si vero origo morbi delitescat in hyperaesthesi, a stimulo systematis nervosi majore, absente vitio abdominali prodesse poterit; a terrore et moerore obortum morbum Opio curari refert Hufelandii Journal (XII. 1. p. 120); a terrore epilepticis prolibus Haen ante insultum exhibuit Opium, quo insultus leniores sustulit.

Choream Sancti Viti curavit Theophrastus Paracelsus narcoticis meris, quibus

nibus, aut paroxysmo pridem absente Opium primo post venaesectionem et catharsim exhibendum est dosi media (Sydenham II. 417): post haec dosis parva curat morbum, dum absque his datum Opium fortioribus insultum sinit redire, nisi Opio perpetuo per annos dato. Saepe semota tantisper causa ordiendum ab anodyno, propter dolores, emesim, diarrhoeam (II. 403), haec enim solum cohibet Laudanum (417). Si Ferrum propinatum feminis turbas longiores (nec solum primis diebus) causet, singulis noctibus Laudanum liquidum in aqua hysterica dandum est, continuato dietim usu Ferri (ib. 409). Debilibus feminis, paroxysmo proxime finito post emeticum mitissimum (Zithogalam s. Lac cum cerevisia) mox detur Opium (ib. 418), dosibus usque curam repetitis, penes quas nihil plane, nec enema mitissimum, exhibendum (418), atque corporis, praecipue capitis, quies summa servanda est (ib. 419). Est tamen Opium tali cautela exhibitum morbi saepe unicum remedium, orti ab hyperaesthesi, flatulentia, spasmisque; qua specificum laudat Selle, irritabilitatem minuendo agere asserit et laudat Whytt, ut adeo Jahn nimium dicat: Opio tumultum solum sedari, non curari! qui tamen ab hypererethismo ortus etiam curari potest. Doses parvas, nec multum continuatas exhiberi suadet Whytt, alii

parvas, mox repetitas (Erl. oest. Pharm. I. 360).

Asthma spasticum Opio curari constat. Si absit inflammatio, plethora, pulmonum infarctus vel obstructio, spasmus aut consensualis pulmonum affectio saepius morbus est, cui Opio occurrit Wolf (in Hufeland Journ. XVIII. St. 1. p. 51) et Tralles. Clysmata opiata multum juvant processum curae. — In Dispnoea spastica, absente vitio topico momentoso Whytt Opium adhiberi suadet, cui bene junguntur Scilla, Asa foetida, Sal Cornu Cervi; Rush adjecit Tartarum emeticum, Chalmers Kermetem mineralem et Camphoram, sequente formula:

R. Salis Cornu Cervi grana octo,
Camphorae grana quatuor,
Kermetis mineralis
Opii ana granum unum.
M. fiat Pulvis.
D. S. Omni hora sumatur pulvis unus.

Pertussi (T. convulsivae, s. spasticae) Opium prodest. In stadio morbi primo non convenire asserit Jahn (II. 262); convenit illud absente febre, post evacuationes. Ad-

dantur Camphora, Scilla et Antimonialia. Pueris infra annum Matthaei exhibuit omni hora unam octavam guttae Laudani liquidi Sydenhami (in Horn's Archiv III. St. 2). Pilulas Weikardi valere in morbi stadio altero, tertiove asserit Jahn (l. c.), qui tamen maxime laudat sequentem formulam (II. 263):

R. Sacchari albi grana decem,
   Salis Cornu Cervi granum unum,
   Kermetis mineralis granum semis,
   Opii grani quartam partem.
M. fiat Pulvis.
D. S. Proli 6—8enni dentur per diem pulveres duo, usque tres.

Vogleri formula sequens est (in Hufeland Journ. XV. I. 98):

R. Sacchari albi drachmas tres,
   Amyli drachmam unam,
   Magnesiae albae drachmam semis,
   Opii puri
   Ipecacuanhae aná grana duo.
M. f. Pulvis.
D. S. Per diem ter usque quinquies dentur grana pulveris hujus octo usque triginta.

Emplastrum de Galbano crocatum, mixtum cum Camphora, Sale Cornu Cervi et Opio circa extremas costas veras imponere jubet Hufeland (von den Blattern). Vide insuper Knebel (in Hufeland Jour. XXVI. 2. p. 117).

Ileum Opio saepe sustulit Sydenham, qui aegro purgantia ore rejicienti Laudani liquidi sui guttas vigintiquinque in Aquae Cinnamomi uncia una pro haustu, post aliquot horas iterando, dein vero purgans exhibuit (Op. II. 434); si sumto purgante rediit vomituritio, omni quarta sextave hora reiterari jussit paregoricum, donec intestinorum quies subsecuta fuisset (ib.). Tissot omni quadrante aut hora dimidia mixtum propinavit ex Aquae Melissae uncia sesquialtera et Laudani guttis quinquaginta. Haen purgantia et Opium alternatim porrexit. Vogel (Methode den Ileus von eingeklemmten Darmbrüchen zu heilen. Nürnberg 1797) Opium praestantissimum remedium Ilei salutat. Dum statui inflammatorio venaesectionem et hirudines praemittit, clysma emoliens et evacuans, dein vero emolliens cum Opio, tandem balneum et ungventum emolliens cum Laudano et Camphora ad abdomen, atque fomenta emollientia adhibet. Nunc tentatur taxis, si vero haec non succedat, adhibentur purgantia cum Opii lauta dosi. — Opium in Ileo et hernia incarcerata si-

stit spasmum, emesim, dolorem, interdum minuit inflammationem praevertitque gangraenam herniae incarceratae (N. edinb. Disp. I. 454). In hernia incarcerata spastica (absente nempe inflammatione) Richter saluberrimo effectu adhibuit interne Opium cum Sale amaro, oleo Lini, fomentisque emollientibus abdomini adplicitis (WAK. V. 269). Idem consilium secuti sunt Wendelstaedt (in Hufeland Journ. XIX. 2. 269) et Willich (ib. XXI. 2. 105).

c.) Dolores sunt campus alter vastissimus Opii activitatis. „Magnum quid est in „morbis dolorem sedare posse" summus enunciat Swieten (Comment. I. 372); monet tamen subin causam doloris aliis remediis tollendam esse, alias inflammationem pergere, dolore licet semoto, alias gangraenam oriri, cum motu animali per somnum suppresso pergat vitalis; quae pridem iam novit audax et felix, quia prudens, Sydenhamus; cum venaesectiones in inflammationibus praemiserit, cum alias purgationes submiserit, aut praemiserit. Hunc quidem effectum unicum Opii praeparatis (nec Opio crudo) concessere Opii inimici infensissimi, Stahlii asseclae, quod dolores nimios, atroces, absque materie, viribusque integris, praecipue in sensilioribus, depellat (Juncker therapiae generalis conspectus p. 494). Qua

anodynum novere gentes et auctores remotissimi; Hippocrates causaliter pronunciat (de liq. usu): moderatum stuporem dolorem sedare; Opium ervi magnitudine datum dolorem finire novit Dioscorides (IV. 60. p. 745); Pharmaca e papaveris succo omnia stupefaciunt, et ob id sane necessario cogimur ipsis uti, ubi nullum aliud mitigativum opem tulit, verba sunt Galeni (de compositione medicamentorum l. 3.). — Non convenit Opium doloribus a stimulo materiali, locali, mobili; non ab inflammatione ortis, alioquin non minoribus, at convenit iisdem a stimulo invincibili, atrocibus (imo et inflammatoriis, quorum causa praevie aut additamentis minuenda, tollenda est), personarum sensiliorum, spasmo junctis, quales in hystericis videas; dolores symptomaticos plurimos Opio bene curari novimus: sic lenit, imo sopit dolores a vulnere, fractura ossis, ambustione, quos etiam prouti febrium symptomaticarum praevertit (N. edinburg. Disp. I. 452). Multam certe famam, justam quidem, Opium recentius acquisivit adplicitum morbis feminarum, quibus mobilitas nativa inest systematis utriusque nobilioris, exaltata adhuc per graviditatem, statum puerperii, lactationisve. Jam anno 1764 Maxwell Gartshore edidit dissertationem de papaveris usu in parturientibus et puerperis. Edinb. et momentosum anno 1781 Commentarium I. Chr. Starcke, de universali

nuperrime celebrato partum levante Opii usu in graviditate, partu, puerperio Jenae, quibus motiva usus ventilabantur. Patet enim nevrosim feminarum se monstrare emesi, alvis saepioribus cum tenesmo, haemorrhoidibus, dispositione ad abortum, doloribus spasticis, posthumis, convulsionibus imo Syncope. Opium hic saepe numero indicatum esse evictum est, nec plethora gravidarum, saepe specie ludens, saepe absens, inhibeat indicationes veras (Jahn II. 266). Indicationes Jahn statuit sequentes: 1) Nevroses minores a conceptione ortas: emeses, spasmos, animi deliquia, quibus unicum est remedium Opium, cum acido carbonico, volatilissimisque pharmacis. 2) Periculum partus praematuri, habitualis a hyperaesthesi, quam tertio graviditatis mense sufferas Opio (saepe magnis dosibus necessario) cum Cinchona dato. 3) Circa partum dolores nimii, spastici, spurii, qui Opio sufferantur, mox veris subintrantibus, adeo, ut partus apparenter gravis abbrevietur, docentibus Starcke, et praecipue Vogleri dissertatione super partu. Gartshore et Starcke usum simul externum Opii, in clysmatibus atque fomentis laudant. 4) Dolores tandem posthumos, praecipue saepius parturientium, bene tollit (Jahn II. 266), — Opio in doloribus sedandis bene adduntur antispastica, emollientia, atque purgantia: Castoreum (scopo pro parte emendationis) in Colica curanda ubique ad-

dere jubet Baglivi; emollientia, maxime olea pinguia salutaria addimenta novimus. Purgantia addita multi bono cum effectu observarunt: Alexander Trallianus purgantia vehementia in colica et ileo non valere asseruit, nisi vis eorum opiatis hebetata sit (apud Freind hist. med. p. 163); idem suasit praecipue in curatione colicae, ilei, herniae incarceratae Bach; idem additamentum Commentarius pharmacopoeae edinensis (N. edinb. Disp. I. 453), quo saepe inflammatio et ileus praevertatur.

Cephalalgiae curandae antiquissimi iam adhibuerunt Opium. Galenus Opio rarius usus id tamen adhibuit pro dolore capitis curando, qui sine manifesta causa prae doloris vehementia hominem de vita periclitari fecit (de compositione medicamentorum l. 2.). „Ad dolores capitis cum rosaceo perfusum Opium efficax est“ verba sunt Dioscoridis (IV. 60. p. 745). Eodem scopo Opium temporibus inunxit praestans, auctor dissertationis de Opii usu externo de la Prade (Journal de Med. t. 36. et in Samml. f. pr. Aerzte 1. St. 4); idem in vehementi radiorum solarium in caput influxu (Sonnenstich) temporibus inungi curavit. Valet quoque in Cephalaea, aut hemicrania, a sono, motuque augenda (Germanis interdum Kopfkolik vocata).

Prosopalgiam Fothergilii nuper curavit Waldhemii in Saxonia Heyner, dum aegroto penum narcoticorum pentandrorum exhaurienti tandem exhibuit decoctum Chinae tincturae Opii junctum (semel per septimanam addito pauco Rheo, ne obstipatio oriretur), unde obortis sudoribus copiosis lenimen, et cura successit.

Otalgiam aeque jam antiquissimi Opio curarunt. Dioscorides suadet, Opium aurium dolori cum amygdalino, Myrrha et Croco instillari (IV. 60. p. 745); auditus gravitatem tamen inducere, quaecunque ad vehementem aurium dolorem ex papaveris succo sunt composita, notat Galenus (de compositione med. l. 2.), qui tamen aliis anodynis frustra adhibitis Opii usum concedit (l. 3.).

Odontalgiae interdum prodest Opium. In hac quidem, prouti etiam in Otalgia usum Opii vetat Tralles, nisi causa metastatica, catarrhalis, rheumatica subesset, quae Opio, utpote diapnoico, suffertur. Sensilitatis tamen nimiae morbo opitulabitur, uti in gravidis, et alias, praecipue dente carioso. Hujus exesi foramini saepius imponitur Opium pro se, vel cum Naphtha, Camphora, oleisve aethereis (quorum tamen caustica e. g. Caryophyl-

lorum, merito rejicias, ob effectum in dentes posthumum). Segniz laudat pilulas denti exeso imponi, sequenti miscela (IV. 126):

R. Extracti Opii grana tria,
Ligni Guajaci pulv. grana septem.
M. f. cum Syrupo pilulae
numero viginti.

Abusus tamen nocere potest relaxatis fibris firmantibus dentes, qui inde excidunt; aut excitata epirrhoea cephalica, soporeve. Saepius sufficit emplastrum opiatum, temporibus adplicitum, cui Olea aetherea, Camphorave accedere possunt:

R. Cerati communis unciam unam,
Opii scrupulum unum.
Misce exacte.

In Cardialgia bene adplicari posse scribit Tralles.

At in Colica curanda momentosus est Opio locus; generatim quidem, dum abest obstructio, causa materialis (sordes vocatae), atque

atque inflammatio, quae tamen praevie aut simul cum adhibitione remedii tolli possunt; addit Tralles, Opio non esse locum in Colica flatulenta, et eum sequitur Commentarius in Pharmacopoeam austriacam (Erl. östr. Pharm. I. 350), licet alii non vereantur; Opium tandem abesse mandat Willis (Pharm. rat. p. 163) in Colica scorbutica, cujus quidem dolores sedat temporanee, ut rursus desaevire possint. Nec ab usu longius continuato Opii timendum esse idem observat Auctor, qui narrat casum matronae lectissimae Colica tamdiu laborantis, donec Opium purum quaqua nocte sumeret, usu usque ad curam continuatam (Ph. rat. c. 7. p. 166). — Varietates Colicae, quibus Opio succurrendum est, sunt: spastica, gastrica (mucosa, biliosa), flatulenta, metastatica, atque plumbata. — C o l i c a e s p a s t i c a e seu siccae n e r v o s a e imaginem graphice sistit Chalmers, causarum tamen minus; partes hae sunt: dolor summus, contrectationis impatiens (ut noli tangere dictus sit), periodice recurrens, umbilico introrsum tracto, interdum paralysis artuum a dolore musculari, pulsus peculiaris, lentus. Chalmers usus est Opiatis, additis solventibus atque oleosis; caute tamen Opio utendum esse suadet Triller (Thesaurus I. 215) ne intestinorum paresis funesta subsequatur. Inunctiones opiatae bene junguntur. Hujus census est colica hysterica, cui, licet materia viridis rejiciatur, O-

pium convenit ad Spiritus perturbatos moderandos (e Sydenham, Op. I. 215), qui tamen observat, Opium praemissis evacuationibus minore dosi sufficere, quam ante eas (ib. 216. et II. 413. 416. seq.). — In colicis gastricis evacuationes instituendae, dein Opiata exhibenda; in mucosa Sellii Opio bene junguntur adstringentia, austera roborantia: Alumen, Kino, Catechu; in Colica biliosa, si vomitu rejiciantur remedia, Opium ante catharsim, et certo intervallo, pro observatione effectus exhibendum esse censet Sydenham (I. 209); verum post catharsim summo dolore urgente, et quolibet die a purgatione libero mane et sero dosi largiore, guttarum sedecim Laudani, exhibeatur Opiatum, cum violentia doloris vires remedii frangat (ib. 210). Sic prudens Senex semper solebat humores evacuare, dein vero semper humorum orgasmum a purgante obortum Opiato compescere. Colicam pertinacem cum alvi obstipatione curavit Percival (Med. and philos. Comm. Vol. 5) clysmate e decocto concentrato capsularum Papaveris cum guttis Tincturae thebaicae viginti usque quadraginta; post doloris remissionem fortiore Calomelis Jalappae mixti dosi. — Pro Colicae flatulentae cura Opiatis aquae aromaticae, olea aromatica (Menthae piperitae, Chamomillae), aromata (Cortices aurantiorum, Cardamomum), atque Naphthae jungendae sunt. — Colica metastatica:

rheumatica, arthritica Opium convenientibus mediis junctum exoptat: sic rheumaticam Camphora et potu calido; arthriticam et nephriticam Opio curavit Willis (Pharm. rat. p. 178), exhibendo Laudani sui liquidi, tartarisati nempe, guttas viginti in Aqua Cinamomi; pro Colica nephritica curanda clysma opiatum multum laudat Joh. Christ. Zimmermann (Chymie I. 831, licet illud scholae stahlianae assecla rejecerit, pag. 193—195). In Colica eadem Bergius laudat (Mat. med. II. 483). — Colica plumbata dirissima multam in Opio saepe salutem invenit, adeo, ut de Haen declaret: Opio in curando hoc morbo nos carere non posse (Rat. med. III. 79) et assentitur Brambilla (Abh. der joseph. Akad. I. 170), Stoll, Mohrenheim, Lentin, Gentron (apud Hufeland); alia quidem morbi remedia sunt Alumen, Antimonialia et Olea pinguia. Opium quidem ipsum post vel cum evacuantibus dosi largiore perfertur et expetitur: rarius emetica, saepissime purgantia valent; pilulas saponaceas Pharmacopoeae londinensis alii laudant. Purgantibus et Opio utebatur Huxham; Oleo et Opio de Haen, imo iisdem plane in Paralysi tardius accedente; Stoll inflammatione per venaesectionem debellata, postque purgantia actuosissimum fatetur esse Opium, quod cum Oleo vel decocto Chamomillae, vel corrigente Camphora quantitate aequali exhibuit per noctem grana tredecim utriusque. Primo Opium,

dein purgantia dedit Hillary, sique dolores redierunt doses majores Opii usque ad grana sex. Cum purgantibus simul exhibuit Mellin: spasmo nempe et dolore abdominali urgente sequentem exhibuit mixturam pro haustu:

℞. Laudani liquidi Sydenh. guttas 20 vel 30;
Infusi foliorum Sennae unciam unam,
Tartari emetici granum unum,
Syrupi — pro grato sapore.
M. D.

Pictores Colica plumbata laborantes aliquoties curavit Jahn (II. 264). sequente mixtura:

℞. Aquae Cerasorum nigrorum uncias tres.
Olei Ricini unciam unam.
Saponis veneti drachmam sesqui.
Vitellum Ovi unum.
Opii grana octo.
Syrupi emulsivi semiunciam.
M. D. S. omni hora sumat cochlear unum.

At a dosi Opii largiore facile debilitatem membrorum oriri putat Segniz (II. 187), quod tamen nemo observavit, cum potius largiores solum morbo curando sufficiunt.

Dolores systematis uropoëtici Opium saepe expetunt: sic Calculus renum, vesicae urinariae; sic, de quibus supra dictum, Ischuria et Priapismus. — In Nephritide calculosa Opium valere asserit Tralles; dolorem a calculo nephritico obortum non tantum leniri, sed imo hujus plane descensum facilem fieri observat Commentarius in Pharmacopoeam edinensem (N. Edinb. Disp. I. 454).—Dolor a Calculo vesicae urinariae Opium exigit, dum atrox, dum spasmo junctus, dum operatio (alioquin solum morbi productum, vix morbum auferens) perfici non potest. Senes operationem saepe non ferentes in Opio solamen inveniunt, quod his in casibus Willis propinavit, usu continuo Laudani vel Diacodii, cujus doses adscendendo magnas, et semper sine noxa perferunt (Pharm. rat. p. 163). Dolorem a Calculo saepe suppuratione atque spasmo producto, inde vero oborta Diabete, Dysuria, Ischuria Opio curari observat Wirtensohn (p. 453). Opium hic laudat Tralles, ad grana quatuor omni bihorio exhibuit Swieten, ad guttas decem Laudani liquidi Sydenhami omni bihorio (post venaesectionem) Mellin; suos tandem a calculo urinario dolores sanavit Haller in clysmate opiato, cui guttae centum, atque centum triginta Laudani liquidi additae fuere! Imo lithontriptica bono consilio addes: sapones et alcalinorum seriem.

Arthritis tandem dolorum scenam claudat. Quidam hoc in morbo Opium totum abjecerunt: semper nocere asserit Tralles; ab Opio arthritidem facile retrocedere Cullen, licet retrocessa Opio bene propellatur! Dolores podagricos Opio mitigari, at repetitis dosibus plerumque cum damno aegri refert Bergius (II. 483). Alii cum profectu aegrorum, exhibuerunt nostrum Opium: Willisii verba sunt (Pharm. p. 163): saepe egregiam et quasi divinam praestat opem! Opium Podagricis proficere cum lacte mulieris et Croco refert Dioscorides (IV. 60). Podagram Capitaneus Suecus in se empyrice curavit pota substantiata Opii aquosa, oborto inde sudore vehemente (Linné Amoen. Acad. VIII. 298); Podagram inveteratam, dolore vix tolerabili stipatam curavit Sydenham Opio (II. 476), qui audacissimus et felix calculo laborantibus Podagricis dedit catharticum mannatum, et insultum certo nunc subortum Laudano suppressit (Op. II. 556). Contraindicationum evictarum series parva est: Arthritis nempe universalis, Arthritis normalis, febri non evoluta, nec doloribus summis praesentibus, unde timendae sunt metastases, apoplexiaeque (Jahn II. 236). Indicatum vero est Opium, in Arthritide typhosa, imo etiam universali, pro doloribus summis leniendis, praecipue in partibus sensilioribus, aut spasmis praesentibus; hic praecipue usum Opii commendat

Charles Scudamore (treatise on the nature and cure of gout and Rheumatism. London. Ed. II. 1717); dum urgent dolores magni, absque obstructionibus, absque inflammatione, dum spasmi morbum comitantur. Utuntur tunc Angli empyricorum guttis sic dictis nigris, quae Opium tenent. Opio tunc bene additur Ipecacuanha et Camphora. Laudat idem Opium in Arthritide chronica intensa, absque reactione fortiore, quae decurrit solum cum dolore, obrigescentia et tumore partium: nunc chilopoëtica excitanda esse suadet praecipue purgantibus atque diureticis, vesperi vero danda narcotica: Opium, aut melius Hyoscyamum. In inveterata jam Sydenham Opium adhibuit (II. 476), et Weikard tunc Laudanum liquidum Sydenhami manibus inungi jussit. Arthritidi vagae prodest Opium, junctum Camphorae, Antimonialibus, optime vero Mercurialibus (Jahn II. 237); prouti idem remedium alii quoque auctores Arthritidi vagae, periodicae opposuere (uti in Rheumatismo): Cotunni (de Ischiade nervosa §. 41), Fordyce (fragm. chir. med. London. 1784. p. 78.) et Hufeland (Journ. XX. St. 4. p. 74). Arthritidem retrocessam Opio tractare solebat Sydenham (II. 474), curari suadet Cullen; Arthritis tandem incongrua, dum interius viscus adgreditur, Opio tentanda est (e Jahn II. 237).

d. Vesaniae ultimus sunt Ordo Neurosium, quarum symptomata sensorii communis functionibus alienatis se pandunt. Plurimum in humanis potentiatae Naturae causas remedio vix attingimus. Pauca adeoque, in limine experientiae decurrentia, heic loci sunto. Generatim si ullum aliud, magnae doses requiruntur, excepto casu Maniae. — Somnambulismo curando magnas Opii doses opponi jubet ingeniosissimus, et simul genio suo, usque ad fictiones (poëta enim erat etiam in medicis) indulgens Darwin. Nullibi datum legi, quin parum exspecto.

In Melancholia Opium nocere asserit Tralles; ab ejus usu abhorruit Mead (cum copiosum exhibitum saepius somnum non causet); illud in melancholicis non esse dandum sentit Linné, cum Maniam accelerare posset (Amoen. Acad. CIII. 299). Alii tamen Opium etiam hic exhibuerunt, imo eodem curam perfecerunt; sic (prouti in Mania) hic quoque exhibuit Swieten (Commentarii III, 517), et Friborg (in Collect. Soc. med. hafn. II). Melancholicorum unicum solamen salutat Bergius (II. 483). Valet Opium, dum abest morbi causa materialis, secundum Chiarugi, aut hac praesente sufficienter evacuata, vivacitate perstante dosibus magnis e Selle; dum causa morbi ponebatur metu, moeroreve, unde tri-

stitia, suspiria, lachrymae, fletusque; hoc in casu grana Opii quatuor moderatam sistere dosim ait Jahn (II. 255); talem moerore et anxietate comitatam Swieten granis Opii quindecim sustulit. Convenit Opium Melancholiae a Venere nimia, aut non satisfacta: in ea, quae debilitati genitalium innascitur, magna dosi cum Camphora valet (Jahn II. 255); aliam a causa religiosa obortam Opio bene sanavit Hergt. Opium tandem in Melancholia cum solidorum laxitate magna (prouti in delirio miti febrium nervosarum) Cinchonae junctum miraculi instar agere observavit Ferriar. Dosim Swietenii granorum quindecim ne mireris; nam Brandroht melancholicum cito sanavit, exhibitis pro dosi hamaphagica scrupulis duobus, et post horas quatuor iterum scrupulo uno (apud Duncan med. Comment. for. 1791). Verum etiam irrito conatu datas ducentas tincturae thebaicae guttas vidit Crumpe!

Nymphomaniam ab hyperaesthesi, factis praevie necessariis, Opio tentare nil vetat.

Mania, ingenii humani ecclipsis therapeuticorum meta esto. Usus Opii in Mania recentius determinatus est experientia; suo enim

aevo Bergius fatebatur: nullum casum Maniae Opio perfecte curatae exstare (Mat. med. II. 483). Abesse certo debet Opium a plethora, inflammatione, causa morbi materiali (humore atrobiliario); non enim valet oculis torvis, ferocibus, facie rubra, motibus corporis animique tumultuariis, pulsu celeri forti, calore, siti, inquietudine, anxietate praesentibus (Jahn. 254); plethoram praesentem fortiorem effici observavit Lorry (Journ. de med. I. 71). Huc spectat Cullenii observatio: Maniam saepe Phrenitidi analogam esse, quae Opii usu in Apoplexiam transeat. Valebit vero absente epirrhoea, sordibus (Swieten Comment. III, 517, et Reil IV. 460), in hyperaesthesi nimia sangvinico-cholericorum. Wendelstaedt (Sammlg. med. u. chir. Aufsätze Hadamar. 1807. I. N. 7.) plures casus Maniae per Opium copiosum curatae narrat, oborto plurium dierum somno. Etiam hic Opii quantitates magnae, et continuatae adhibendae sunt. Methodum propriam Maniae curandae proposuit medicus florentinus Vincentius Chiarugi (Abhandlung über den Wahsinn. Leipzig. 1795), qua sensilitatem Cerebri nimiam, quin Systema vasorum in orgasmum concitetur, imminuere intendit: Laudano nempe liquido super penicillo in nares altissime ingesto atque inuncto, dum quantitas parva, fere localiter, citissimo tempore aget. Tentamen pluries fa-

ciendum est; nec enim Segnitii (cui methodo hac odontalgia momentanee cessavit, tardius non. Ib. p. 112), quaestione: an effectus transitorius sit? deterrebuntur observatores.

§. 10.

Opii praeparata atque composita, quae aetas tulit et sustulit, penitus exposita, libri molem poscerent; cum vero mihi certiora solum, aut usitata arrideant, hisce locum concedere in animo est.

Opium crudum, purum optimum esse remedium cunctis praeparatis, compositisve aut correctionibus praeferendum jam tandem edocti sumus, adeo, ut Pharmacopoeae publicae quaecunque Opii correctionem nullam agnoscant, praeparata vero paucissima, composita pauca legalia publica admittant. „Divinum enim (verba sunt Freindii in prael. Chym. p. 35) morborum lenimen non est ita malignae efferaeque indolis, ut cicurari et corrigi debeat". Sententiae huic accedit laboriosus Lemery (Cours de Chymie. 1809. 814), et historico fundamento nititur optimi Bauméi observatio (Pharm. 295): „Boni jam olim practici Opium crudum prae praeparatis adhibuere". Ejusdem

sententiae Scriptores Materiae medicae circumspecti quicunque sunt, e quorum coetu antiquior Crantz (M. m. III. 16) sic fatur: In sola dosi salubritatis aut lethalitatis punctum versatur, nec ideo unquam correctorio indiguit, nec hodie eget." — At hominum ingenium vel potius stultitia hoc in remedio miscendo, mutando, cicurando adeo lusit, ut nullum forte futilitatem hypothesium lucidiore imagine monstret, ac Opium! Huic enim adjecta opposita, corrigentia, mitigantia etc. numero vario, saepe tanto, ut imaginationis poëticae monstra Sirenes, Dracones, Chimaerasque, Opiatis in obversum posita, rationalia esse credere debeas. Expeditionis ex omni parte in Opium factae resultato, Opii utpote umbra aut cadavere utebantur cum plausu et strepitu. Galenus et asseclae, illud frigidum p. tantes, addidere calida: aromatica, acria e serie resinosorum, oleosorum, Crocum, Ammonium; Chemici aevi medii calidum supponentes adjecerunt mitigantia: plurimi acida, saepius vegetabilia, imo mineralia; quidam alcalia! Alii vim obstipantem salibus emendare, alii soporiferam mitigare tostione, auferre additamentis; alii resinam sufferre solutione aquosa repetita, vel coctione longissima semestrali, alii volatile abigere inspissatione, digestione, tostione: — unicam deesse puto combustionem, e qua Phoenix rediisset O-

pium. Talia specialius enarrare opus est, ne vanae criminationis reus arguar.

Galenici primi in Opium invecti, ob effatum Magistri, priorum quidem temporum opinionem affirmans „Corpora viventium mortificationi simile quippiam perpetiuntur ab omnium ex Opio — compositorum pharmacorum usu; et multi sane, qui assidue talia accipiunt, ad immedicabilem frigiditatem particularum perducuntur (de compositione Pharm. secundum locos 2. 8.)". Calefacientia adeoque addita vim refrigerantem, stupefacientem, tarde evanescentem tollere, refrigerationem impedire debuissent. Portenta (ut Plinii utar verbo) dehinc orta sunt Philonium, Theriaca, Mithridatium, et recentiora plura, e quibus celebratissimum est Laudanum liquidum Sydenhami, in quo vis Caryophylli Cinnamomi et Croci accedit Opio, non improbante Freind. At inconcinnam Opii formulam plures sentiunt Pharmacologi, cum Opii genius calidus et acer insigniter intendatur (Murray II. 362), ut adeo mirer Grenii sententiam (Pharm. II. 96), asserentis: aromatica adjecta interdum valere, interdum minus. — Alia cohors acida adjecit: Acetum Vini, vel destillatum (Extractum Opii Quercetani), succum Citri, Cydoniorum (Extractum Opii Langelotti), Cremorem Tartari, Vinum, aci-

dum sulphuricum dilutum (Cartheuser Fund. II. 38), quibus vim narcoticam figere, corrigere in proposito fuit; at ab acidorum natura abhorret Opium, quod efficacissimum attenuans vi acidorum coagulante obtunditur (Freind prael. ch. p. 43). Acidis vim Opii nimium debilitari observat Murray (II. 362), imo fere annihilari antiquior Lewis (Dispens. I. 538). Huc etiam facit observatio Pharmacopoeae edinensis (Neues Edinb. Disp. I. 456): acido sulphurico addito Opium, alias ejiciendum, optime ferri, et illa Weikardi, qui ab Opio residuum sensum ardoris Aceto sufferre solebat. Unde patet fundamentum observationis Cartheuseri (Fund Ch. II. 9): Opium acidis aut acidis dulcificatis (optime Spiritu Nitri vel Salis] dulci ib. p. 39) extractum generatim mitius agere atque vi sommifera minore. — Alii alcalibus miscuerunt, quorum volatile vim Opii in cutim, fixa vero in urinam dirigunt teste Lewis (Disp. Edin. I. p. 536). Justius sentire videtur Freind (l. c.) asserens, quod Sal Tartari Opii corrector dictus nec boni, nec mali videatur addere, cum Opium facile solum solvatur; et justissime decidit, aliter forsan, ac voluit Willis (Pharm. rat. p. 175) his verbis: „Revera Sal Tartari Opii correctivum optimum seu potius antidoton existit! unde empyrici cujusdam pilula ex Opio et Sale Tartari, Oleo Terebinthinae imbuto, cui quidem paradoxe pulvis Hellebori

additur, usus non contemnendi sit. — Plurimi saeculi decimioctavi Chemici resinosum auferre voluerunt ex Opio: Neumann id efficere conatus est solutionis aquosae, post ablatam partem tenacem supernatantem, inspissatione; alii solutionis aquosae inspissatione repetita (Lewis Disp. I. 538); Cleerio (non Acoarie errore typi in Johnii chem. Tab. des Pfl. p. 23, bene vero ib. p. VIII. citatus); Pharmacopoeus Valentiae, solutionis aquosae cum pulvere carbonum coctione, filtrataeque inspissatione in extractum, quod soporiferum quidem, non vero stupefaciens esset (!? ex Ann. de Chym. in Trommsdorfii Journal XVII. I. p. 300), Baumé tandem solutionis aquosae post ablatum tenax supernatans coctione longissima, imo semsetrali (Elem. de Pharm.). — Alii Opium corrigere annisi fuere fermentatione solutionis ejusdem pro se (Cartheuser II. 38); alii adjectis praevie succis vegetabilium acidulis, quibus tamen vim minui jam credidit Freind; alii tandem melle admixto, quo simul fermentato Alcoholeque soluto confit Laudanum Abbatis Rousseau (Pharm. gallicae p. 101). — Scenam claudat Opii miserrima tostio, quam potius torturam dixeris, cujus super lamina ferrea ignita perficiendae jam Avicenna meminit (Canonis II. c. 529); hac usi sunt Quercetanus, Angelus Sala, aliique antiquiores Chemici; hac Indi orientales adhucdum utuntur pro narcosi infringenda; hanc

tandem ad montem Fontana recentissime laudare ausus Scheel hafniensis (in Hufeland Journ. der prakt. Heilk. 1810. Martio). At tostione Opium perdit partem optimam (Sulphur volatile dictam) ad observationem Lemery (Chym. p. 810), quae vaporosa seu volatilis vires praecipue continet, quamque servare maxime interest (Murray II. 361). Certissimum adeoque est Opium varia praeparationis solertia vel castrari, vel illi peregrinas vires impertiri (idem ibidem); hinc Opium crudum, purum a natura datum, nec labore quaerendum praeparatis omnibus praeferendum erit; et quidem respectu jatrico omnium maxime, cum inspissatione, digestione, solutione, tostione vis minor, imo dubia, atque dosis incerta reddatur, juste observante Lewis (I. 359).

Medico tamen scopo additamenta justa, imo necessaria sensim comperta fuere. Talia characteri Opii admensurata sunt roborantia, amara, stimulantia diaphoretica, praecipue volatilia, solventia, et gummosa (Jahn. II. 214). — Roborantia Opio minime admensurata sunt, Cinchona tamen Opio bene jungitur (Jahn II. 214), debellando Hypererethismo: ad vomitum enim sistendum (Sydenham II. 305), ad purgationes praevertendas (ibid. 303) Cinchonae jam addidit sagacissimus

mus observator Sydenham. — Purgantibus idem divus Senex juste subjecit, uti supra narravi; bene jungitur Opium, quo spasmi abdominales obstipationi junctae saepe ante alvos cessant (observante Mellin): alvus non subsecuta oborietur dato clysmate; eodem in casu vires purgantium juvat, si dosi singulae addantur guttae paucae (ad quinque) Tincturae anodynae; hac de causa in diarrhoea, obstipatione alvi, herniis, nisu ad emesim, qui purgantia dare vetat, Opium purgantibus additum qua praesentaneum laudat Weikard. Opium purgantibus additum cum stibiatis in Arthritide chronica cum spasmis et obstructione laudat Kortum (in Hufeland Journ. VI. 1. p. 157), his tamen nec obest Jahnii effatum certum: ubi purgantia indicata, Opium non est, nisi rarissime (II. 210); insuper vim purgantium Opio minui, alioquin obstipante, quae tamen Opii vis optime infringitur Aloë, insuper Ipecacuanha, Camphora, Ammoniacalibus (ibid. 215). — Emetica addere Opio ingeniosissima fuit Doveri inventio, nominatim adhibita fuere Ipecacuanha et Tartarus stibiatus (Adair med. Comm. of a Soc. of London for 1783. 4). In mixto Ipecacuanhae et Opii infringitur virtus utriusque emetica et stupefaciens; suboriturque media: diaphoretica, discutiens, resolvens; imo debite assumtum remedium gratius est sensilitati utroque ingrediente (Jahn II. 213). Mixtum

idem saepius ingreditur pulverem sedativum, ac paregoricum Vogleri (Pharm. sel. p. 173. 181), laudati usus in tussi, atque diarrhoea inveterata. Antimonialia addita etiam huic mixto praeferenda, qua actuosiora, penetrantiora, plus solventia: hoc scopo valet additamentum vini antimonialis Huxhami, Tartari stibiati, sed vel omnium maxime Sulphuris aurati Antimonii; cum Vini stibiati ana Tincturam Opii crocatam adhibuit Jahn (Kinderkrankheiten p. 407) in tussi convulsiva ad guttas viginti, quadraginta. — Classis volatilium plurima Opio largitur additamenta commensurata: talia sunt Olea aetherea, empyrevmaticum Dippelii, aquae aromaticae, Camphora, Naphthae, Gummiresinae, Castoreum, Moschus, Ammoniacalia, Sulphas Cupri ammoniacalis, Arnica, Valeriana, Serpentaria, Angelica, e quorum serie Camphoram atque Ammoniacalia antiqui vix dare sunt ausi. Camphora vires Opii non minuit, mutat tamen, adeo, ut mixtum proprium, necdum perspectum, lenius utroque oriatur, maxime in periphaeriam corporis agens (Jahn II. 214). Aether sulphuricus Tincturae Opii crocatae ana mistus valet in Cephalalgiis nervosis, Diarrhoeis, Dysenteriis ad mentem Augustin (Pharm. ext. p. 172) vix in Typho, in quo saepe ejus abusus fiebat. Castoreum multi correctorem Opii salutarunt: antiquiores Galenus, Trallianus, Avicenna, recentiores Sennert, Baglivi, Garnier (Rec. period. 4. p.

304) et Carminati (Op. therap. I. p. 270). Efficax antispasmodicum, praecipue in Typho, erga spasmos et dolores symptomaticos laudat Augustin (in Pharm. extemp. p. 138) pulverem Moschi opiatum ex Opii granis quatuor, Moschi granis triginta duobus et Sacchari albi drachma, in doses duodecim, omni hora vel saepius dandas convertendum. Ex observatione Percivali: effectus Opii Coffeae tostae potu meraco sufferri, Arnemann (AML I. 380) refert, Coffea Opii vim narcoticam, nec vero sèdantem sufferri! — Salia neutra interdum admiscentur: Cremor tartari, Nitrumve, pro orgasmo minuendo (Gren II. 98); Nitrum speciatim pro leniendo stimulo, vi tamen antispasmodica augenda secundum Vogler; mixtum Nitri et Opii praevertere morbum marinum observavit Vicat (in Haller A. M. L. p. 276). Nitri undecim et Opii una cum Saccharo mixtum componunt pulverem sedativum seu thebaicum Suecorum (Pharm. Suec. p. 99). Validum antihydropicum laudat Fordyce (Fragm. chir. et med. London 1784), pulverem e pulv. radicis Scillae, Piperis nigri, et Kali nitrici ana granis decem, Pulv. rad. Ipecacuanhae granis quinque, Opii granis duobus, Sacchari drachma una, in doses sex dividendum, quarum una omni tertia hora cum cochleari Aquae Menthae sumenda. — Metallica tandem ad momentosissima spectant additamenta: Oxydum Zinci, Stibiata et Mer-

curialia. Stibiata addantur in Rheumatismo, si ventriculus sensilis non feratPulverem Doveri. Opium cum stibiatis et hydrargyratis simul sistunt remedium parvis dosibus Camphorae simile (Jahn. II. 213). At momentosum adeo, ut periodi nomen meruerit, est mixtum ex Opio et Mercurio dulci, ad mentem Hamiltoni compositum, in quo Opium infringit Hydrargyri vim purgantem, imo etiam antisyphiliticam: summum in inflammationibus activis remedium, sensilitati nimiae conveniens, diarrhoeam a praeparato mercuriali timendam praevertens. Angli Mercurium dulcem, similiter Germani plerique laudant, Schwarz Mercurium sublimatum corrosivum Opio jungit: ultimum primis diebus ad tertiam, dein ad quartam grani partem exhibendum, Rambach praeter dulcem et hydrargyrosum nigrum ammonicale. In Syphilide Mercurii sublimati corrosivi solutionem Aqua Cinnamomi vinosa factam cum Tinctura Opii simplice optimam expertus est Marcus Mag. 1. St.

Praeparata et composita Opii plurima nominat Spielmann (Inst. M. m. p. 520—522). Laudana ab initio generatim praeparata Opii salutabantur; post haec nomen idem sortita sunt Electuaria plura, summe composita aut pilulae, tardius idem obvenit Opio ipsi, atque solutionibus liquidis. Ea, quae usualia

nobis transmisit antiquitas, quae aetas recentior tulit constabilita aut laudatiora exponam serie formae, tam respectu pharmaceutico quam jatrico, cui tamen posteriori in decursu dissertationis quadantenus jam animum adplicui.

Forma Opiatorum solida certior, pulveris optima ob effectum Opii totum et merum, pilularum minus (Segniz II. 196). Pulvis Opii formatur bene addito Saccharo, Saccharo lactis, pulvere radicis Liquiritiae, aut Lapidum cancrorum, Cretae, Magnesiae. Pilulae tamen formam praelaudat Pharmacopoea edinensis (N. ed. Disp. I. 455), sine addito Gummi aut Sapone, cum Opium facile omni solvente solvatur: sic ventriculo maxime omnium convenire, longius tamen pro exserenda vi tempus requirere dicitur (ibidem). Pulvis et pilulae formantur ex Opio et extractis ejusdem.

Porma fluida guttans praevalet, ubi citius auxilium necessarium, pro mixtis sistendis ob miscibilitatem, pro usu externo (Segniz II. 196). Praestantes sunt solutiones aquosae Opii extemporaneae; praestantiores, cum servabiles, cum actuosiores, sunt alcoholicae (Gren II. 96, Jahn II. 214): experi-

mentis enim in hominibus et animalibus factis virtus Opio crudo major patuit, at vomitu vel alvo facile rejiciendae, unde fere repudiantur (Murray App. med. II. 362). Insuper alcoholicae solutiones additis liquoribus aquosis turbantur, hinc optimae sunt solutiones Opii in Alcohole dilutiore, aut in mixto ex aequali parte Aquae Cinnamomi et Alcoholis (Jahn II. 215). Communissimi praeter Opii pulverem sunt usus Tinctura Opii simplex, et crocata! Solutiones vero Opii omnes ad indolem Opii variant quantitate contenti (Jahn II. 215), ut adeo Pharmacopoea Borussica caeteris, quae Opii in Opiatis quantitatem contentam designant, cautior solum asserat: in certo praeparati pondere solutum contineri, ex Opii granis tot. — — Forma Opiatorum solido-mollis, intermedia, electuarii puta, portentosas antiquorum, et gentium modo incultiorum stitit compositiones, merito avanidas.

Tabula, Opiatorum conspectum sistens.

Antiquissima Opiata sunt:

Mithridatium Damocratis, quod (sine Melle) numerata tenet ingredientia e Galeno 43, Pharm. Würt. 48.

Philonium romanum e Galeno

romanum ex Avicenna apud Spielmann ingr. 11. ad Ph. Würt. ingr. 16.

persicum Avicennae apud Alpini ingr. 10.

persicum Mesue ad Ph. Würt. ingr. 16.

Theriaca Andromachi senioris e Galeno apud Spielmann ingr. 63. ex Alpini 61.

ad Ph. Würt. - - - 72.

ad Ph. Gall. - - - 71.

ad Pharm. Aust. anni 1794. 15.

ad Pharm. Boruss. - - 12.

ad Pharm. Dann - - 11.

ad Pharm. Suec. - - 9.

ad Pharm. Edinensem 8.

Opiata aevi medii sunt:

Theriaca Aegyptiorum ex Alpini ingred. 59.

Theriaca coelestis Quercetani e Hoffmann 39.

Electuarium Diascordium Fracastorii e Spielmann et

ad Pharm. Würt. - 17.

ad Pharm. Gall. - - 17.

ad Pharm. Suec. - - 5.

Orvietanum Hieronym. Ferrantis, Orvietani ad Pharm. Würt. - - 32.

verum insuper Theriacam et Mithridatium tenet, adeoque + 72 + 48 = 152.

Electuarium Tryphaerae magnae Nicolai

Electuarium: Requies Nicolai e Spielmann 16.

(Nicolai Myrepsi de antidotis 1. c. 205)

Electuarium opiatum Edinb.
Confectio opiata Lond. paulina Lond. japonica Edinb.
Balsamum anodynum Edinb.
Pilulae de Cynoglosso Würt. 8.
— de Styrace Würt.
— Starkey polychrestae Würt.
Laudanum Paracelsi, Crollii, Quercetani, Hartmanni.
Laudanum liquidum Helmontii, Willisii.
Tinctura sudorifera Edinb.
Pulvis sudoriferus Edinb.
Succus inspissatus Opii.
Opium correctum.

Praeparata aevi antiquioris et medii plurima enumerat Pharmacopoea Würtembergica, medii quoque Marcgrav (in Mat. med. contr. Lug. Bat. 1674. pag. 180—187).

Opiata recentioris aevi sunt, quae communius in Pharmacopoeis prostant:

Pulvis Opii.
- opiatus Borussicus.
- Cornu usti cum Opio Lond.
- Cretae compos. cum Opio Lond.
- Kino compos. cum Opio Lond.
- thebaicus Suec.
- Ipecacuanhae thebaicus Suec.
- Ipecacuanhae compos. Lond.

Ipecacuanhae opiatus Boruss. Dan. Gall.
Ipecacuanhae cum Opio Austr.
Extractum Opii aquosum Lond. Suec. Dan. Borus. Gall. Würt. Austr.
Opii vinosum Hass. Gall.
Pilulae Opii s. Saponaceae Lond. Edinb.
pacificae Edinb.
de Cynoglosso Gall. Würt.
Pilulae de Styrace Suec. Austr. Würt.
Essentia anodyna officinalis Würt.
Tinctura Opii simplex Edinb. Boruss. Dan. Aust. Gall.
vinosa Lond. Hass. (Vinum Opii Lond. Gall.)
thebaica Suec. Russ. Edinb. antiq. Lond. antiq.
cum Aqua Cinn. vinosa Edinb. novae Suec. Boruss.
ammoniata Edinb. Dan. Boruss.
antisyphilitica Besnardi.
benzoica Lond. Dan. Boruss.
Ipecacuanhae opiata Edinb.
Elixir paregoricum Lond. Edinb.
Papaveris Suec.
de Opio compositum Gall.
Laudanum liquidum Sydenhami Lond. Edinb. Dan. Boruss. Austr.
Guttae nigrae Anglorum e Carol. Scudamore.
Syrupns opiatus Boruss. Gall.
Electuarium Catechu Edinb.
e Scordio Suec.

Confectio Opii Lond.
Collyrium opiatum Gall.
Balsamum anodynum Bateanum Edinb. antiq.
Linimentum saponato-opiatum.
Emplastrum Opii Lond. Boruss.

Cum momenti plurimi credam esse, Opii in compositis quantitatem noscere, hanc forma tabulae comparativae e Pharmacopoeis notioribus modernis adjicio, simul monens, Pharmacopoeam Borussicam Opii nativam indolem variam agnoscendo quantitatem susceptam non absolute defigere, verum prudenter solum asserere: pondus certum praeparati tenere solutum ex Opii granis tot! non vero soluta tenere grana tot.

Tabula Opiatorum usualium atque iisdem contenti Opii,

e Pharm. Londinensi Lond. apud. Longmann 1809. 12. pag. 155.
Pharm. Suecica. Ed. 4. Lipsiae apud. Sweder 1777. 8. pag. 131.
Pharm. Danica. Hafniae apud Brummer 1805. 4. suis locis.
Pharm. Borussica. Ed. 3. Berolini apud Nicolai 1813. 8. suis locis.
Pharm. Austriaca. Ed. 2. Vindobonae apud Kupfer 1814. 8. pag. 114.
Pharm. Gallica. Parisiis apud Hacquart. 1818. 4. suis locis.

Lond.	Suec.	Dan.	Boruss.	Austr.	Gallica.
Pulvis r. Cerv. icumO- $\frac{1}{10}$ Cretae mp. c. io $\frac{1}{40}$ Kino np. $\frac{1}{20}$	Pulvisthebaicus $\frac{1}{60}$.	Pulvis	Pulvis opiatus tenet ex Opii $\frac{1}{10}$.	Pulvis	Morphina - acetica - sulphuri. Pulv. ex Ipecac. et Opio com. circ. $\frac{1}{11}$.
Ipecac. np. $\frac{1}{10}$.	— Ipecac. thebaicus $\frac{1}{60}$.	— Ipecac. comp. $\frac{1}{10}$.	— Ipecac. opiatus $\frac{1}{10}$	— Ipecac. cum Opio $\frac{1}{10}$.	
ractum pii.	Extractum thebaicum	Extractum Opii	Extractum Opii.	Extractum Opii aquosum	Extr. Opii aquos. -- vinósum - Cartheus. -- Deyeux. -- Diest.
Pilulae onis c. o $\frac{1}{5}$.	Pil. e Styrace $\frac{1}{6}$.				Pilulae de Cynoglos. $\frac{1}{9}$.
nfectio i $\frac{1}{36}$.	Elect. e Scordio $\frac{1}{200}$. Theriaca $\frac{1}{10}$.	Electuar. Theriaca $\frac{1}{96}$.	Electuar. Theriaca $\frac{1}{96}$.		El. opiat. polyphar. s Ther. $\frac{1}{88}$. El. Diascord. $\frac{1}{184}$.
Tinct. i cir. $\frac{1}{13}$. umOp. $\frac{1}{16}$.	Tinctura thebaica $\frac{1}{10}$. Elixir Paveris $\frac{1}{50}$	Tinc. Opii crocat. $\frac{1}{6}$. Elixir pareg. Lond. $\frac{1}{240}$ Tinc. Opii ammoniat. $\frac{1}{11}$	Tinc. Opii simpl $\frac{1}{6}$. -Opii crocata $\frac{1}{6}$. -Opii benzoica $\frac{1}{192}$ -Opii ammoniata $\frac{1}{11}$. Syrupus Opiatus $\frac{1}{480}$.	Tinc. Opii $\frac{1}{7}$. seu gutt. $\frac{1}{14}$.	Tinc. de Extracto Opii $\frac{1}{12}$. gr. $\frac{1}{24}$. gut. Vinum de Opio comp $\frac{1}{15}$ gr. $\frac{1}{24}$ gutt. Vinum Opii ferment. paratum $\frac{1}{7}$ gutt.
plastr. pii.			Emplastrum opiatum $\frac{1}{22}$.		Collyrium opiatum. Linim. saponato-opiatum.

I. Ad Opiata solida spectant Pulveres, Extracta, Pilulae, ratione agendi vix inter se discrepantia.

A. Pulvis Opii paratur Opii puri, tectique, lenissimo calore siccati trituratione in mortario (ligneo), atque trajectione per cribrum. Praestantissimum Opiatorum aliis adjicitur, rarius causa formae, saepissime scopo medico complicatiore: Gummi, Cornu Cervi usto (Calcariae phosphoricae), Cretae, Concrementis cancrorum, Hydrargyratis, Stibiatis, Nitro, sed vel omnium maxime Ipecacuanhae radici.

a).

Pulvis anodynus Segniz II. 196.

R. Opii puri drachmam unam,
Sacchari Lactis drachmas novemdecim.
M. exactissime. F. Pulvis.
Nota. Scrupulus tenet granum Opii unum.

Pulvis opiatus Pharm. Boruss. Ed. 3. p. 139. Ed. 2. pag. 133.

R. Pulveris gummosi drachmas novem (e gummi arabico, Saccharo et Rad. Liquiritiae).
Opii drachmam unam

M. exacte.

Nota. In granis decem continet Opii granum.

Usus. In diarrhoea et morbis pectoris.

Pulvis Cretae compositus cum Opio Pharm. Lond. p. 130.

R. Pulveris Cretae compositi uncias sex cum semisse (e Creta, rad. Tormentillae, Cort. Cinnamomi, fructu Piperis longi, et Gummi Acaciae).
Opii duri contriti scrupulos quatuor.
Misce.

Pharmacopoea eadem Anni 1788 Pulveris Cretae unciis octo adjecit Opii drachmam unam et semis.

Pulvis anodynus Pharmacopoeae Austriacae Anni 1794. p. 94.

R. Lapidum Cancrorum unciam unam,
Sacchari albi unciam semis,
Opii puri grana viginti quatuor,
Misceantur diu terendo in Pulverem.

Pulvis Cornu Cervi usti cum Opio. Pharm. Lond. pag. 129.

R. Opii duri contriti drachmam,

Cornuum ustorum et praeparatorum unciam,
Coccorum contritorum drachmam (Coccionellae).

Misce.

Pharmacopoea eadem Anni 1788 Pulverem Opii compositum praescribit fieri ex Opii triti dachma, et Cornu Cervi usti drachmis novem.

b). *cum adstringentibus.*

Pulvis Kino Pharmacopoeae Londinensis p. 131.

R. Kino drachmas quindecim,
Cinnamomi corticis unciam dimidiam,
Opii duri drachmam.

Separatim in Pulverem subtilissimum tere; dein misce.

Pulvis paregoricus Vogler Pharmaca selecta p. 173.

R. Opii grana tria — sex,
Mastichis electi scrupulos duos
Amyli scrupulos quatuor.

Misce fiat Pulvis, divide in sex — octo partes. Adultis dentur bis, quaterve grana quindecim usque viginti, in Dysenteria catarrhali, rheumatica gravi aut pur-

gantibus tractata, in Lienteriam, Coeliacam, Tabem transeunte.

vel

R. Cinnamomi acuti drachmas duas,
Catechu drachmam unam,
Opii puri scrupulum unum,
Radicis Ipecacuanhae grana decem.
M. fiat Pulvis. D. S. bis usque quater dentur grana octo ad quindecim — qua remedium praestantissimum Diarrhoeae chronicae habitualis post Choleram, aut Dysenteriam obortae.

vel

R. Opii grana quatuor,
Amyli,
Sacchari albi ana drachmas duas.
M. f. Pulvis. Dentur usque quater grana quinque ad duodecim in Dyarrhoea habituali infantibus.

c). *cum Stibiatis.*

Pulvis stibiato-Opiatus Augustin Pharmacopoea extemporanea p. 146.

R. Opii puri grana quatuor,

Tartari stibiati grana duo,
Radicis Valerianae minoris drachmas duas.
M. f. Pulvis. Divide in partes sex aequales, quarum una omni trihorio sumenda. — Est anodynum in Rheumatismis asthenicis effectus optimi.

Pulvis resolvens cum Opio Segnis II. 339.

R. Sulphuris aurati Antimonii drachmam unam,
Opii puri drachmam dimidiam,
Sacchari Lactis unciam unam.
M. f. Pulvis. Dosis granorum decem, adultis triginta ad quadraginta. In Inflammatione, Emphraxi, vel affectionibus topicis addita valet Camphora. Inflammatione per venaesectionem et antiphlogistica cessante vim exercet temperantem, diaphoreticam, expectorantem.

vel

R. Pulveris rad. Enulae,
Nitri puri ana grana decem,
Sulphuris aurati Antimonii grana duo,
Camphorae granum unum,
Opii granum dimidium.
Misce f. Pulvis. D. S. pro dosi detur omni trihorio.

Pul-

Pulvis Ipecacuanhae thebaicus
Pharm. Suec. p. 98.

R. Calcis Antimonii unciam unam,
(Antimonii diaphoretici ablut.)
Ipecacuanhae grana sedecim,
Opii grana octo.
Commisceantur (in Pulverem).

d). *cum Hydrargyratis*, ad mentem Hamiltoni.

Pulvis Hydrargyri cum Opio Augustin Ph. p. 130.

R. Opii grana duo,
Hydrargyri muriatici mitis grana sex,
Sacchari albi drachmam unam.
M. f. Pulvis. Divide in doses sex aequales.
Egregium remedium Inflammationibus topicis, minuta praevie hypersthenia, praecipue Hepatitidis.

Pulvis Hydrargyri oxydati nigri cum Opio Augustin Ph. extemp. p. 131.

R. Hydrargyri oxydulati nigri grana tria,
Sacchari albi drachmam unam et dimidiam,
Opii puri grana duo.

M. f. Pulvis. Divide in sex partes aequales. D. S. mane et vesperi Pulvis sumendus. — Rambach (de usu Mercurii cum Opio in morbis inflammatoriis. Halae 1794) praefert Mercurio dulci hoc praeparatum mercuriale, urgente necessitate ad grana octo, decem intra nycthemerum exhibendum. Similiter laudat Augustin, qua praestantissimum antisyphiliticum, ita, ut vix unquam alio opus habuerit. Idem affirmatur in Hufelandii Journal (T. VI. 1. p. 117).

Usus mixtionis Hamiltoni in Phlogosibus constabilitus est. In Typho nervoso cum sensilitate et irritabilitate multa dedit Chisholm intra nycthemerum Calomelis grana centum viginti cum Opii granis viginti quatuor. Valet mixtum in Inflammatione vera per venaesectionem depressa, in asthenica, mixta, praecipue systematis lymphatici. In Phrenitide, Paraphrenitide, Angina inflammatoria, Catarrho sicco pertinaci Hamilton usum expertus est, in Ophthalmia syphilitica alii, in Phthisis stadio secundo: pure ejecto, deglutitione, loquela mutata Thomann, in Pneumonia, sed vel omnium maxime in Hepatitide, praecipue chronica, infarctuque jam visceris incipiente, in Enteritide atque Metritide iterum Hamilton; in Enteritide insuper ad-

hibuere Heberden, Vogel, Jahn; doses parvas adhiberi suadet P. Frank; felicissime vero et copiose Angli Indis praecipue Orientalibus adplicuerunt. Metritidi Vogel et Jahn opposuerunt. Rheumatismum acutum, atque Arthritidem inflammatoriam Hamilton eodem mixto sanavit. Tandem idem Variolis suppurantibus, jamjam siccantibus, post venaesectiones (si necessariae fuerunt) adhibitum fuit.

e). *cum Nitro.*

Pulvis thebaicus Pharmacopoeae Suec. p. 99.

R. Opii scrupulum semis,
Nitri purificati scrupulos quinque cum dimidio,
Sacchari albissimi unciam unam.
Commisceantur (et redigantur in Pulverem).
Olim Pharmacopoea eadem solum Nitri scrupulos quinque praescripsit, ad Pulverem hunc sedativum Suecorum, s. alias antispasmodicum Rosensteinii vocatum.

Saepius tamen Nitrum accedit Pulveri Doveri constituendo.

f). *cum Ipecacuanha s. Pulvis Doveri.*

Pulvis anodynus Doveri Pharm. Lond. 1788. p. 123. Pharm. Würt. p. 136. Swediaur Ph. univ. II. p. 396.

Pulvis Ipecacuanhae compositus Monro mil. diseas. p. 299. Chirurg. Pharmacy p. 344. Med. pract. of London Hosp. p. 18.

℞. Nitri,
Tartari vitriolati ana uncias quatuor; in crucibulum candens injecta agita, donec deflagratio et scintillatio desinat; adde
Opii concisi unciam unam,
et in Pulverem redige, adjiciendo
Radicis Glycirrhyzae,
— Ipecacuanhae subtilissime pulveratarum ana unciam unam.
Misce probe.

Dosis granorum quindecim ad vigintiquinque (Swediaur II. 396), decem ad quadraginta, imo ad drachmam (Murray II. 369). — Usus contra Arthrodyniam, Myodyniam rheumaticam, morbosa transpiratione suppressa, Dysenteriam, Hydropem. Optime datur mane, post horam superpoto sero Lactis vinoso, atque omni dimidia hora iterato, donec aeger sudore diffluat, (Swediaur l. c. 396).

Pulvis anodynus Doveri e Spielmann Pharm. gen. p. 125.

℞. Nitri,
Tartari vitriolati ana uncias duas.

Injiciantur in crucibulum candens, ibique relinquantur, donec omnis scintillatio cessaverit, sat refrigerata redigantur in Pulverem, cui addantur

Pulverum Opii,

Radicis Liquiritiae,

Ipecacuanhae ana uncia una,

Misceantur exacte.

Nota. Drachma una ad sistendos alvi fluxus et Haemorrhoides detur.

Pulvis ex Ipecacuanha et Opio compositus (Doveri) Ph. Gall. p. 290.

R. Sulphatis Potassae 4.

Nitratis Potassae 4.

Simul trita conjiciantur in crucibulum, ut igne liquentur. Massae dein in mortarium ferreum effusae et pene refrigeratae adjice

Extracti Opii siccissimi in pulverem redacti 1.

hisque simul tritis adde demum

Radicis Ipecacuanhae 1.

Glycirrhyzae 1.

Terantur omnia in Pulverem tenuissimum.

Sweating Powder Nosocomii Sti Thomae (London Hosp. p. 69).

R. Opii,

Rad. Ipecacuanhae ana granum unum,
Tartari vitriolati,
Nitri ana grana octo.
M. f. Pulvis. Detur pro dosi.

Pulvis Doveri Jahn II. 276.

R. Kali sulphurici,
Nitri ana grana quindecim,
Opii granum unum,
Ipecacuanhae granum dimidium.
M. f. Pulvis. D. S. pro dosi hamaphagica.

Pulvis Ipecacuanhae opiatus (P. Doveri) Ph. Boruss. p. 138. Ed. 2. p. 132.

R. Kali sulphurici unciam unam,
Opii pulverati,
Rad. Ipecacuanhae pulveratae, singulorum drach. unam.
Misce exacte.
Nota. Pulveris hujus grana decem continent Opii granum unum.

Pulvis Ipecacuanhae compositus (Pulvis Doveri) Pharm. Dan. p. 53.

R. Pulv. rad. Ipecacuanhae,

Opii, singulorum drachmam unam,
Sacchari candidi drachmas octo.
Misceantur in Pulverem.

Pulvis Ipecacuanhae compositus Pharm. Lond. pag. 130.

R. Ipecacuanhae radicis contritae,
Opii duri contriti, singulorum drachmam,
Potassae Sulphatis contritae unciam.
Misce.

Pulvis Ipecacuanhae cum Opio (Pulvis Doveri) Pharm. Austr. p. 90.

R. Pulveris radicis Ipecacuanhae,
Opii ana drachmam unam,
Sacchari albi unciam unam.
Misceantur diutius terendo in Pulverem.

Pulvis sedativus Vogler Pharm. sel. p. 181.

R. Sacchari albi drachmas tres,
Amyli drachmam unam,
Acidi tartarici grana quatuor,
Radicis Ipecacuanhae,
Opii ana grana duo.
Misce, fiat Pulvis.

Super remedio momentoso notas pharmaceuticas addere oportet. Antiquissimum praeceptum Pharmacopoeae londinensis, würtembergicae, gallicae recentissimae, e Monro, Selle et Swediaur Kali sulphuricum et nitricum praevie detonandum, et dehinc pulveres vegetabilium addendos praescribit; aliae omnes Pharmacopoeae, interque has londinensis novissima miscere jubet. Ingredientia primariae miscelae quinque sensim evanescere vidit aetas: dum antiquiores Kali nitricum et sulphuricum cum Liquiritia Ipecacuanhae et Opio addidere, Nitrum prima seposuit Pharmacopoea borussica anno 1801, Nitrum et Kali sulphuricum simul Pharmacopoea austriaca anno 1794, danica 1805, imo etiam londinensis anno 1809; in vicem Kali sulphurici substituit Segniz et Voigtel Saccharum Lactis, Vogler loco utriusque Salis adhibet Acidum tartaricum. — Variat insuper compositum proportione partium, quae communior est tam Opii, quam Ipecacuanhae una decima pars totius (utriusque pars una ad octo), uti Pharm. lond. dan. boruss. austr; danica Pharmacopoea servat Opii proportionem in $\frac{1}{11}$, Spielmann in Pharm. gen. in $\frac{1}{7}$. Jahnio (Mat. m. II. 277) in composito praestantissimo praeplacet minor tam Opii quam Ipecacuanhae proportio (supra exposita); ita ut Opio obveniat $\frac{1}{31}$, Ipecacuanhae $\frac{1}{62}$, qua vis utriusque neutralisata securius exerce-

tur, qua initio sensilioribus interdum emeses suboriuntur, quaque vim diaphoreticam multum augeri scio.

Cautelas in pulvere Ipecacuanhae opiato dando exactius circumscripsit Cullen, pro parte nimie. Abesse enim vult sordes intestinales, imo et Febres! Detur forma boli seu hostia involutus, ne nauseam, absque potu, ne vomitum moveat; optime mane post somnum, qui diaphoresi non favet, (licet alii omni diei tempore, saepiusque porrigant), die singula aut quavis altera, per dies plures (14), dosim sensim augendo. Cum vis medicamenti et scopus medici diaphoresis sit, evitetur refrigerium tegumentis sufficientibus (laneis optime, lineisve), non tamen nimiis, praecipua tamen pedum est cura habenda, lagenis, lateribus etc. calefactis fovendorum. Diaphoresi incipiente saepius potetur potus calidus paucus (e decocto Avenae, infuso Salviae, Theae hollandicae, jure tenui pro se aut cum pane tosto); calore non exuberante Vinum dilutum valet; serum Lactis vinosum omni semihora propinandum suadet Swediaur, donec aeger sudore diffluat II. 396). Diaphoresis oborta sit longior, ad summum tamen horis duodecim durans; ea finitur abstersione, tegumentis renovatis siccis, manibus imo humeris denudatis. Sic Cullen. Alvum sub cura arte procurari jubent alii (a diaphoresi mi-

nutam) clysmate, aut purgantibus lenibus: van der Haar quavis altera die propinatis pilulis suis mercurialibus.

Dosis pulveris Doveri media, si, quod communius occurrit, Opii et Ipecacuanhae proportio una decima est, limitatur granis decem ad triginta; Angli tamen hunc saepe transgrediuntur limitem: Brocklesby ad drachmas duas intra nycthemerum dedit (Oecon. and med. Observations).

Virtus remedii est potior diaphoretica minor antispasmodica, et novissima sistens inter praestantissima (Clark diseases in long voyages p. 231). Ipecacuanha enim vim Opii soporiferam minuit (Carminati Opusc. I. p. 274), imo spasmos ab Opio intoxicante obortos mox suffert (Smith in Marx diss. de Spasmis p. 39). Summa vi agit in organa periphaerica tollendo spasmum cutaneum (cutim anserinam) stipatum pallore, frigore, pulsu parvo, cito, duriusculo, imo doloribus artuum (Jahn II. 277): hinc cutim laxat, hujus et membranae mucosae functionem incitat, transpirationem auget. Indicatur adeoque in rheumaticis, catarrhalibus, profluviis, sensilitate morbide adaucta, cuti et interioribus spasticis,

qui status multis obveniens morbis famam procuravit remedio multam, meritamque.

Convenit Pulvis Doveri Febribus nervosis acutis, in statu inflammatorio spastico; dum sensilitas magna, pulsus durus, parvus, inordinatus, cum delirio, agrypnia, evacuationibus non juvantibus; dum vitalitas adeo suppressa est, ut symptomata a lenissimis stimulantibus, imo plane a Spiritu Mindereri, augeantur, tunc Pulvis Doveri maxime sedat orgasmum nervorum, subsequente sudore largo (Jahn II. 277). Febrim intermittentem Cinchonae rebellem medicus quidam Anglus eodem remedio sustulit, conveniente sensilissimis, cum Plethora (Jahn ibidem). Valet in inflammationum topicarum stadio altero; plurimam tamen laudem promeruit in Rheumatismis et Catarrhis: Rheumatismo apyreto, aut post evacuationes dolore nimio, praecipue nocturno, et febri persistente, perspiratione et urina paucis, pulsu duro cito; aut sensilitati magnae sub cura posthuma deprimendae. Comites sint Quajacum, Aconitum, Dulcamara, Camphora (Jahn II. 278). Rheumatismum chronicum curavit Pringle (Diseases on army p. 162) vesperi dato Pulvere Doveri usque ad grana viginti quinque; similiter Gardiner; pertinacem tamen invictum resistere observat Jahn (l. c.). Tussis catarrhalis, rheu-

maticae, apyretae saepissimum est remedium, imo et Asthmatis. Catarrhum pertinacem, Rheumatismo junctum tribus dosibus granorum decem omni bihorio datis saepius curavit Gardiner (on the animal oeconomy). Hujus census etiam exanthemata quaedam sunt. — Profluviis nimiis passivis, non juvantibus, vi multa sistente occurrit. Convenit Diarrhoeae et Dysenteriae a stimulo rheumatico, aut post sordes evacuatas sensilitati intestinorum sufferendae, quae aut causa fuit, aut residuum est morbi (Jahn l. c). Hinc in Dysenteriae fine exhibere consueverunt Angli, uti Pringle (Diseases p. 263. 283); Brocklesby (on camp. diseases p. 189) tunc exhibuit mane et vesperi pilulam ex Opii granis duobus et Ipecacuanhae granis tribus, Monro vero (on military diseases p. 84) Opii granum unum, Ipecacuanhae grana tria ad decem omni quarta aut sexta hora; aliis tamen male cessit remedium (probabilius morbo fervente, sordibus stipato?). Valet contra profluvia sangvinea: Haemoptoën, Haematuriam, Metrorrhagiam a debilitate et sensilitate, a spasmis, a causa catarrhali, rheumatica, non vero ab infarctu, a dissolutione sangvinis obortam. In Cerebri commotionibus post venaesectiones et balneum tepidum dedit Bromfield grana pulveris Doveri vigintiquatuor, eademque methodo continuata saepe sequelas praevertit. Similiter laudat Rothe. Si emesis ominosa accesserit, solum adhibea-

tur Opium. Pulverem nostrum in morbis dolorosis viarum uropoëticarum a laxitate, sensilitate, cum secretione perversa laudat Jahn (II. 280): in Ischuria cum balneo tepido adhibuit Werner, sine balneis Mac Cornik; doloribus a Calculo bene opponitur, imo ad sufferendum nisum crebriorem mejendi insultus hypochondriacos, hystericosve praecedere solitum bene valet. Salacitati tandem ac Satyriasi supprimendae, praecipue cum Camphora, caute datus pulvis Doveri interdum sufficit, ob actionem in sensilitatem et organa periphaerica.

B. Extractum Opii est solutionis Opii inspissatum. Paratur id arte pharmaceutica varia, necdum satis defixa: solvente Aqua frigida, rarius calida, fervidave, paucissima, rarius copiosa; aut Vino, Alcohole, Acidis; imo fermentatione pro se, aut cum acido vegetabili. Aquam fervidam Pharmacopoea londinensis antiquissima adhiberi jussit, sola adhuc modo suecica praescribit, frigidam caeterae omnes. Aquae frigidae quantitatem copiosam, ut a Resina eo certius liberetur Extractum, secundum Mem. de la Soc. de Medec. I. 399. adjicere suadet Murray II. 268; variam praescribunt diversae Pharmacopoeae: ad unam Opii duodecim Aquae Pharmaco-

poea danica, decem gallica, sex londinensis, quatuor borussica et austriaca. Jam olim Baumé Extractum aquosum cum Aquae quantitate minima (Elem. de Pharm. p. 294), et similiter Hagen (Apothekerk. II. 383) parari praescribunt; merito, cum Aqua frigida pauca Opii miscelam propriam minime (copiosior vero facillime) decomponat, ut adeo Extractum, sal Opii neutralis, resina, oleumque volatile natura arcte juncta Extractum artis intrent (ad Pharm. lond. I. 449). Puls cum Aqua pauca obtenta mox per linteum aut pannum pressione colatus (ibid. I. 449, Hagen l. c. II. 382, Baumé El. p. 294, et omnes Pharmacopoeas, excepta danica, quae filtrationem jubet) mox inspissetur igne lenissimo: balnei nempe maris ad Pharmacopoeam suecicam, danicam, borussicam, austriacam, aëris atmosphaerici temperatura ad Pharmacopoeam gallicam. Volatiles tamen Opii partes facile avolant, ut diversa proportione remaneant (Murray II. 361. Segniz 196 etc). — Extractum Opii aquosum Opio est ignavius, minus calefaciens (Arnemann I. 380), dosi generatim dupla exhibendum (Tralles I. 237, Neues Edinb. Disp. I. 456, Hartmann II. 189, Jahn etc. pauciores dosim in triplam, imo quadruplam augent): granorum duorum usque sex. Utimur eo insuper ad solutiones aquosas miscendas. Extractum resinosum et resina stimulans multum eviluit; cum acidis vegetabilibus,

aut fermentatione paratum castratum aut exhaustum est.

a). *Extractum aquosum.*

Extractum Opii Pharmacopoeae danicae p. 133.

R. Opii crudi uncias quatuor;
in frustula minute concisae immittantur cucurbitae vitreae, affundantur
Aquae communis librae quatuor.
Solutio filtrata lenissimo balnei calore ad Extracti consistentiam evaporetur.

Extractum Opii Pharm. gallicae p. 179 s. Sal essentialis Opii secundum la Garaye.

R. Opii crassius triti libras duas vel 1,000,
Aquae frigidae libras duodecim vel 6,000.
Macerentur, identidem agitando, per viginti quatuor horas, quibus elapsis liquorem trajice per pannum et serva.
De maceratione, quod residuum est, maceretur denuo in Aquae frigidae libris octo, vel 4,000 saepius agitando, dein cola.
Tum ambo liquores commixti evaporent balneo maris ad syrupi densitatem. Hunc liquorem addensatum divide, et diffundas super orbes planos faventinos, ita, ut non

superet in singulis altitudinem duarum linearum, et sic balneo maris aut in clibano vaporet ad siccitatem. Extractum orbibus haerens cultello obtuso abrade, quod sic secedet in lamellas tenues, nitidas, pellucidas, hyacinthino colore, servandum in vase accurate clauso.

Extractum Opii Pharm. londinensis p. 86.

R. Opii concisi libram dimidiam,
Aquae octarios tres (libras tres circ).
Opio adjice exiguum Aquae, et macera per horas duodecim, ut mollescat; tum, instillata paulatim reliqua Aqua tere donec quam optime misceantur, et sepone, ut faeces subsideant; dein liquorem cola, et consume, donec idoneam crassitudinem habeat.

Extractum Opii Pharm. borussicae p. 107. Ed. 2. p. 100.

R. Opii libram dimidiam.
In pulverem redactae affunde
Aquae communis libras duas;
solve digerendo, et liquorem colatum in balneo aquae evapora ad justam spissitudinem.

(Obti-

(Obtinebuntur sic Extracti ℥, e Haenle Apoth. Taxe p. 249).

Extractum Opii Pharm. austriacae p. 66.

R. Opii in pulverem tusi libram unam,
Aquae fontanae libras quatuor.
Digerantur ad perfectam solutionem partium solubilium et liquor colatus evaporetur in balneo aquae in extracti spissitudinem. Servetur in vase porcellaneo aut murrhino.

Extractum thebaicum Pharm. suecicae p. 75.

R. Opii contusi libram semis,
Aquae fluvialis fervidae uncias octo.
Digere, donec Opium dilutum sit, et liquorem calidum, exprimendo colatum, balnei maris calore redige in justam spissitudinem.

Extractum gummosum Opii Parmentier in Ann. de Chym. et in Bulletin des Sciences med. par Graperon 1808. Fevrier.

R. Opii triti uncias vigintiquatuor.

Macerentur cum Aquae pluviae quantitate sufficiente diebus quinque; solutio dein cum Carbonum pulvere libris duabus cocta, filtrata, cum Albumine Ovi clarificetur, et inspissetur ad consistentiam debitam.

(Obtinebuntur sic Extracti unciae duodecim).

b). *Extractum aquosum, resinoso separato.*

Extractum Opii Swediaur Pharm. univ. I. p. 218.

℞. Opii quantum placet.
Affunde triturando repetitis vicibus Aquam, donec colorari desierit; liquores commixtos et colatos in balneo Aquae evapora ad consistentiam extracti.

Extractum Opii Bucquet Sammlg f. prakt. Aerzte. IV. St. 1.

Opii solutio Aqua frigidissima in mortario contusione facta filtratur, lenissimoque inspissatur igne. Obtinetur Extractum amarissimum; residuum vero ultra dimidium appendens est resinosum odoratissimum Alcohole totum solubile (Hagen Apothekerkunst II. 385).

Extractum Opii Cartheuser a Crocharé emendatum Pharm. gall. p. 181.

R. Opii electi et in taleolas secti libram unam vel 500,
Aquae communis frigidae libras quatuor vel 2,000.

Simul mixta reponantur in tepidario, identidem agitando per biduum. Liquor percolatus per biduum alterum quiescat; cui tum innatabit pellicula odoris virosi. Liquor ope chartae emporeticae percolatus vaporet leni igne ad dimidias; qui, adhucdum modice turbidus, rursus quiescat in tepidario per biduum, et supernatabit pellicula virosa nova. Denuo percolatus liquor vaporet demum, donec in Extractum consistat; quod tunc fiet, ipso ad finem usque puro et minime turbido permanente, et sic habebitur Extractum omni odore viroso carens.

Extractum Opii Josse oritur ex Opio ea methodo tractato, qua e farina Cerealium paratur Colla. Opium cum Aqua tepida (graduum 30—36 R.) in manu eousque subigitur, donec nil amplius solvatur; solutio filtrata igne lenissimo inspissatur ad consistentiam Extracti. Residuum non solutum manui adhaerens est Caouthouc et Resina (glutinosum Jossio): coloris pr-

funde fusci, odoris saporisque opiati intensissimi, adeo ut facillime emesim moveat; elasticum; humidum facile fermentat, sistens pulverem odorum; solvitur (humidum adhuc, nec siccum) oleo calido, faeculae instar plantarum viridis; Alcohole parte sui octava, colore fusco, odore Opii, unde destillatione abacto Alcohole remanet Resina inodora, amarissima; solvitur tandem Acidis vegetabilibus, et Aceto, unde per Alcalia praecipitatur floccis odore Opii. Residua hujus proportio est e libra una ad uncias sex et dimidiam, in statu plane sicco ultra uncias quinque. Josse ex his experimentis infert, pessimum Opii solvens esse Acida vegetabilia, quae glutinosum hoc residuum solvunt, et optimum esse Vinum hispanicum et Hydromel, quae idem non solvunt.

Extractum Opii Baumé Elemens de Pharm. theoret. et prat. p. 269; N. Edinb. Disp. II. 57. Marcus Prüfung des Brown. Systems. I. St. 4. p. 119. Röschlaubs Magaz. I. St. 1.

R. Opii boni conscissi libras quatuor, Aquae communis pintas 12-15 (libr. civ.); coque per horam, dein exprime, et residuum iterato vel bis excoque eadem ratione.

Liquores obtentos mixtos inspissa ad residuum pintarum sex; dein in cucurbita stannea magna, in balneo arenae posita, leniter coque (primis diebus resinam a fundo spathula lignea abradendo) per sex menses aut tres menses continuos, diebus noctibusque, Aquam deperditam semper reaffundendo. — Tandem cola, inspissa ad consistentiam Extracti solidi pro pilulis formandis.

Nota: Dosis est grani dimidii usque quatuor.

Scopus Bauméi fuit separare glutinosum, resinosum (imo et volatile) indolis narcoticae.

Extractum Opii Bauméi est inodorum, non narcoticum, solum sedans, teste Pharmaceuta Hagen (Apothekerkunst II. 384), quod viro bono concessero, vix tamen distinctionem de vi solum sedante subscribens: nam vim inesse Opii minimam, vix stimulantem persuasus observationem Bauméi, quod femina nullum aliud Opiatum ferens hocce praeparatum optime tulerit, idem testari credo.

Extractum Opii Doctoris de Diest. Pharm. gall. p. 182.

R. Opii electi in taleolas secti libram unam, vel 500,

Aquae communis libras quatuor vel 2,000. Bulliant leniter per semihoram; dein cola et colatum liquorem serva. Quod residuum est, eodem modo decoquatur, et pari Aquae quantitate bis terve. Decocta colata excipiantur cucurbita stannea, quae imponatur balneo arenae, ita, ut liquor supposita lampade calefactus bulliat indesinenter, leniterque per sex menses: curando, ut liquor transfusione in vas aliud a limo secedente separetur, atque eadem quantitate servetur affusa nova aqua communi stillata. — Post sex menses liquor refrigeratus coletur per pannum, aut chartam bibulam, et vaporet balneo maris, ut consistat in massam pilulis informandis aptam. Servetur in vase probe clauso.

Auctores Pharmacopoeae gallicae servarunt formulam (ab ea Baumé non distinctam) ut diu celebrem, cuique a gravibus auctoribus peculiaris tributa est efficacia! extra tamen Galliam nullibi adhibiti praeparati.

Extractum gummosum Pesche in Journal gen. de la Medecine 27. N. 123. Anno 1807.

R, Opii sicci uncias decem, conscissas in Aqua frigida tere manibus (quo glutinosum et resina praecipitantur); colaturam

inspissa igne leni ad residuum dimidii vel unam tertiam, quod iterum colatum inspissa ad consistentiam pilularem. Dein solve digerendo in Alcoholis unciis sex, filtra, et Aqua addita separa resinam; post repetitam filtrationem iterum inspissa ad consistentiam pilularem.

Nota. Sic obtinentur Extracti unciae tres, drachmae duae seu 3 ⅓.

Extractum gummosum le Roux in Ann. de Chym. t. 46. olim in Pharm. paris.

Opium conscissum solvatur Aqua tepida, solutum clarificetur cum Albumine Ovi, coletur et inspissetur ad consistentiam Extracti mollis, quod solvatur Alcoholis gr. 30 ad 32 B. quantitate sufficiente, et inde Aqua copiosa praecipitetur resina. Liquorem colatum inspissa secundo in Extractum, iterum solve Alcohole et Aqua praecipita. Liquorem colatum inspissa tertio in Extracti consistentiam.

Nota. Sic resina tam bene separatur, ac per longam digestionem Bauméi. Libra Opii una largitur Extracti uncias quinque ad sex.

c). *Extractum vinosum.*

Extractum Opii Vino paratum seu Laudanum opiatum Pharm. gall. p. 180.

R. Opii electi et mundati, frustulatim secti q. s.
Vini albi quantum sufficit ad solvendum Opium.

Fiat solutio sub balnei maris calore. Solutionem fortiter exprime per linteum densum; dein liquor positis faecibus, sedulo decapulatus, vaporet balneo maris, ut in Extractum consistat.

Extractum Opii vinosum Piderit Pharm. hassiac.

R. Opii orientalis optimi uncias quatuor. Frustula minutim scissa in cucurbita vitrea solvantur in
Vini albi unciis quadraginta octo.
Solutio filtrata lenissimo igne ad Extracti formam inspissetur.

Nota. Extracti hujus usus est pro Tinctura Opii vinosa Pharmacopoeae hassiacae paranda; rarius jam olim praescriptum modo ubique eviluit debilius et incertius Extracto aquoso probe parato.

d). *Extractum spirituosum et Resina.*

Extractum Opii spirituosum experimentis in brutis et hominibus captis, Opio crudo efficacius compertum esse, adeo tamen, ut vomitu aut alvo saepe dejiciatur, refert Murray (II. 362) ideoque eviluit.

Resina Opii Pesche in Journ. gen. de la Med. T. 27. N. 123.

R. Residuum extracti Opii aquosi secundum Pesche parati super colo relictum cum
Alcoholis libra una
in cucurbita vitrea digere per duodecim horas; residuo iterum adde Alcoholis libram unam. Solutio per mensem quieta, defusa inspissetur in patina porcellanea ad consistentiam Extracti vel ad siccitatem.

e). *Extractum Opii cum acido.*

Extractum Opii Pharm. brunsvic.

R. Opii thebaici optimi uncias quatuor.
In frustula minutim conscissas in cucurbita vitrea solve in
Aquae communis, Succi Citri Unciis sex,
acidulatae unciis quadraginta octo.

Solutio tunc decanthata per chartam filtretur bibulam, et calore balnei moderato ad Extracti consistentiam inspissetur.

Nota. Debilius est Opio, ita, ut grana tria uni supparia sint.

f). *Extractum Opii per fermentationem.*

Extractum Opii fermentatione paratum secundum Deyeux Pharm. gall. p. 181.

R. Opii selecti in taleolas dissecti q. s.
Macerentur in Aqua cum fermenti de Cerevisia quantitate sufficiente, eo caloris gradu (scilicet 20=25 C.), qui fermentationi faveat.
Liquor ubi limpidus evaserit, Aqua addita diluendus est, et colandus per chartam emporeticam. Bulliat deinde, donec odor virosus omnis evanuerit; denique vaporet et in Extractum solidius addensetur, quod sic carebit omni virosa parte.

Extractum Opii cydoniatum Langelotti Spielmann in Pharm gen. 89, et Pharm. Würt p. 84.

R. Opii optimi uncias duodecim.

Solvantur in

Succi Cydoniorum,

Aquae fontanae ana unciis sexaginta.

Stent in loco temperato per aliquot dies, tunc colentur. Colaturae addantur

Sacchari albi uncias quatuor.

Omnis massa relinquatur fermentationi, quae per plures menses durare solet, quo temporis intervallo baculo ligneo saepius est agitanda, donec omnis motus intestinus cessaverit. Trajiciatur postea liquor per pannum et evaporetur ad consistentiam Extracti.

Nota. Opio esse debilius, hincque post grandem laborem doses magnas esse exhibendas evicit Tralles l. c. VII. §. 14, et consentit Spielmann: nec mirum, cum pars volatilis Opii labore tali dissipetur. Antiqui tamen granum hujus Extracti aequipararunt granis Opii sex; ideo ad Pharm. Würt. dosis adulto porrigenda est grani unius, Murray inconsequentiam horum auctorum culpat, qua extracti fortioris (ac aquosi) doses minores praescribant (II. 364): quam ego quidem non invenio, cum Extractum Opii acidis adjectis solutione paratum ab eo, quod ex Opio cum acidis fermentatione paratum est, distinguere debeam.

C. Pilulae formam Opio unicam necessariam exponunt Auctores Commentarii in

Pharmacopoeam edinensem (N. edinb. Disp. I. 455), ventriculo gratissimam, sensim atque tardius agentem, proque ea obtinenda additamentum vix necessarium esse asserunt seu Gummi seu Saponis, cum omni fere fluido liquabile sit Opium, cui judicio fundamentum solidum subesse non negabo. Cum tamen formulae tales Pharmacopoeae potius extemporaneae objectum esse debeant, rarius in publicis praescriptas iterum justo cernimus. — In expositione pilularum opiatarum a simplicioribus ad composita gradum faciam.

Pilulae Opii Pharm. lond. Anni 1788.

R. Opii duri triti drachmas duas,
Extracti Liquiritiae unciam unam.
Contunde in massam aequabilem.

Pilulae opiatae Segniz II. 197.

℞. Opii puri pulverati grana decem,
Extracti siccioris Liquiritiae pulverati drachmam unam.
M. f. cum sufficiente quantitate aquae massa pilularis, e qua fiant pilulae numero sexaginta.

Notat auctor, singulam pilulam continere Opii grani partem sextam, et praevalere pilulis de Cynoglosso, cum aetate quoque solubiles persistent.

Pilulae ex Opio Augustin Pharm. extemp. p. 108.

R. Opii puri grana decem,
Succi Liquiritiae depurati scrupulos quatuor.

F. l. a. massa. Formentur inde pilulae quadraginta, Lycopodio conspergendae.

Nota. Pilulae quatuor tenent Opii granum unum.

Pilulae opiatae Pharm. Edin. p. 106.

R. Opii partem unam,
Extracti Glycirrhyzae glabrae partes septem,
Fructus Myrti Pimentae partes duas.

Opium et Extractum seorsim Alcohole diluto mollita et in pulpam contusa misce; dein adde fructum Myrti Pimentae in pulverem tritum et bene subacta coge in massam.

Pilulae Saponis cum Opio Pharm. lond. p. 135.

R. Opii duri contriti unciam dimidiam,
Saponis duri uncias duas,

Simul contunde, donec corpus unum sit.

Pilulae polychrestae Starkey e Triller Disp. univ. I. 492.

R. Extracti Opii thebaici, Aqua fontana parati,
Pulveris Radicum Liquiritiae,
— — Hellebori nigri,
— — Hellebori albi, ana unciam unam,
Saponis tartarei, vel correctoris uncias tres,
(e Kali caustico et Oleo Terebinthinae parati).
Misce, fiat massa, ex qua formentur pilulae.

Nota. Tenent Opii extracti unam septimam, tantundem de utroque Helleboro (non unam quintam, ut exponit Spielmann in Inst. m. med. p. 521). Taedioso labore parandas (Boerhaave Chym. II. 261 seq.) polychrestarum virium esse tenuit Georg Starkey, viresque Hellebori atque Opii ope saponis subactas inesse; minus tamen laudandas recentior aetas pridem pronunciavit.

Pilulae de Cynoglosso Manardi s. Catapotia ad Catarrhos Mesue Spielmann p. 118.

R. Pulverum Radicis Cynoglossi,

Pulverum Seminis Hyoscyami,
Opii depurati ana unciam semis,
Myrrhae electae drachmas sex,
Olibani drachmas quinque,
Styracis calamitae,
Caryophylli,
Cinnamomi ana drachmas duas,
Croci sesqui drachmam.

Misceantur et fiat cum Syrupi Violarum idoneo quanto massa.

Nota. Grana septem et dimidium tenent Opii et Hyoscyami granum unum. Mixtum olim a Stahlianis dosi ad grana quinque, sopiendi scopo, adhibitum est.

Pilulae de Extracto Opii s. de Cynoglosso Pharm. gall. p. 335.

R. Pulverum de cortice radicum Cynoglossi drachmas quatuor s. - - 16.
de semine Hyoscyami albi drachmas quatuor s. 16.
Extracti Opii Vino parati drachmas quatuor s. 16.
Pulverum Myrrhae drachmas sex s. 24.
Olibani drachmas quinque s. 20.
Croci drachmam unam et semis s. 6.

Castorei drachmam unam. et
semis s. 6.
Syrupi de Opio, quod satis.
F. secundum artem massa diu contundenda et in usum servanda, cujus summa erit circiter 144. Extracti Opii ad Summam ratio erit ut 1. ad 9.

Massa pilularum de Cynoglosso Pharm. boruss. Anni 1781.

R. Radicum siccatarum Cynoglossi,
Seminum Hyoscyami albi,
Opii depurati ana drachmam unam,
Myrrhae,
Thuris,
Styracis calamitae,
Caryophyllorum,
Cinnamomi ana drachmas duas.
Cum Succi de Cynoglosso et Syrupi Violarum ana ex arte fiat pilularum massa.

Pilulas de Cynoglosso a Tralliano (L. 5. c. 1. de Tussi) nobis transmissas actuosas experta est aetas quoque recentior in Spasmis, Doloribus, Profluviis, Tussi et Asthmate (Murray II. 133); frequentius abhinc Vomitum, raro Diarrhoeam obortam observat Wedel (Opiologiae 6. 2. sect. 1. c. 5). Dosis est gra-
norum

norum duorum ad quinque, in Germania adhucdum usitati remedii (Murray II. 366).

Pilulae de Styrace Schroederi correctae e Spielmann 121.

R. Styracis calamitae unciam dimidiam,
Succi Liquiritiae drachmas tres,
Olibani,
Benzoës,
Mastichis,
Extracti Opii aquosi ana drachmas duas,
Croci orientalis drachmam unam.

Pulverisata reducantur cum Essentiae Succini quanto conveniente in massam pilularem.

Nota. Tenet Opii fere unam nonam. Tussientibus ad grana duodecim datur.

Pilulae de Styrace Pharm. austr. Anni 1794. p. 98.

R. Styracis calamitae electae,
Succi Liquiritiae inspissati ana unciam semis,
Olibani,
Croci austriaci ana drachmam unam,
Opii puri drachmas duas.

Pulverata misceantur et cum sufficiente

quantitate Syrupi Diacodii fiat massa pilularis.

Pilulae de Styrace Swediaur. Pharm. univ. II. p. 374.

R. Balsami Styracis,
Croci,
Extracti Glycirrhyzae glabrae ana unciam unam,
Extracti Opii drachmas quinque.
Simul probe tritis adde
Tincturae Myrrhae q. s. ut f. Pilulae granorum sex. — Pilula una tenet Opii granum. Dosis est tussientibus vesperi pilula una.

Pilulae de Styrace Pharm. suec. p. 96.

R. Styracis depuratae scrupulos quinque,
Succi Glycirrhyzae spissati uncias tres,
Opii drachmam unam.
Opium ex Vino hispanico dilutum admisceatur caeteris, ut massae spissitudo fiat. Formentur inde pilulae, quae singulae grana duo contineant.

Remedium ab Arabibus desumtum, valet in Tussi spastica, catarrhali, dosi granorum

quatuor ad octo (Murray II. 111), imo minore, ad proportionem Opii contenti.

Forma solida accedunt huic praeparato, compositione atque vi medica parum abludunt

Trochisci Glycirrhyzae cum Opio
Pharm. edinb. p. 108.

R. Opii drachmas duas,
Tincturae Toluiferae Balsami unciam dimidiam,
Syrupi simplicis uncias octo,
Extracti Glycirrhyzae glabrae, aqua calida molliti,
Gummi Mimosae niloticae in pulverem triti utriusque uncias quinque.

Primo tere Opium bene cum Tinctura; dein paulatim admisce Syrupum et Extractum; postea sensim insperge pulverem gummi Mimosae niloticae, et tandem exsicca, ut fiat massa in Trochiscos formanda, singulos grana decem pendentes.

Nota. Grana septuaginta tria tenent Opii granum unum.

II. Cum Pilulae finem constituant formae solidae, Electuaria solido-mollem tenent,

mediam inter solidam et liquidam. Electuariis commendandis propinandisque certatim incubuit antiquitas, cohors agyrtarum et plebs seu medica seu populi. Gallis adhuc modo sonant Opiata (Opiates) idem, quod aliis Electuaria, licet plura non teneant Opium. Electuaria opiata antiquorum maxime composita a recentioribus pharmacopoearum auctoribus brevius imo melius praescripta sunt, at medicis merito repudianda sunt, in memoriam revocantia mixtorum difformium, inconcinnorum barbariem; insuper aetate spissata, solidave Opii proportionem variantia, ita, ut si quae in usum vocanda, potius simpliciora extemporanea jubeantur.

P h i l o n i u m r o m a n u m antiquitatis nomine primum a Philone tarsensi, Asclepiadeae gentis medico, aevo Augusti elegia propria figurata descriptum fuit, quam Galenus nobis servavit; formulam vero Spielmann in Pharm. gen. exposuit. Mixtum undecim ingredientium continere unam quadragesimam circiter Opii, unam vigesimam seminum Hyoscyami asserit Spielmann in Instit. Mat. m. p. 521. idem tamen in uncia circiter granum sesquialterum contineri observat, penes formulam enumeratam, in Pharm. gen. p. 60. Murray in drachma una tantundem Opii adesse statuit II. 368.

Electuarium mithridaticum s. Antidotus mithridatrica Damocratis nomen sortita est a Mithridate Ponti rege animoso, cui antidotus fuit in usu, cujus nomen tardius Damocrates Neronis Archiater suae miscelae inscripsit. Mithridates pocula matris timens oriente die in pauco Vino sumsit remedium, quod Ser. Samonicus versu 1073 et Plinius 22. c. 8 aequaliter describunt. Posterioris verba sunt: In Sanctuariis Mithridatis Cneus Pompejus invenit in peculiari Commentario ipsius manu compositionem antidoti e duabus nucibus siccis, item ficis totidem, et rutae foliis viginti simul tritis, addito salis grano, et qui hoc jejunus sumat, nullum venenum nociturum illo die. Addit Serenus Samonicus, quod victor vilem synthesim et vulgata satis medicamina riserit. Formulam Damocratis nobis transmisit Galenus Libro de antidotis secundo c. 2, videndam quoque in Spielmanni Pharm. gen. p. 59 (ex ingredientibus quadraginta tribus compositam), in Pharmacopoea würtembergica p. 43 (ex ingredientibus quadraginta octo compositam), et in Trilleri Disp. univ. pag. 170. Continet ea ad Pharmacopoeam gallicam antiquiorem Opii sexagesimam, ad würtembergicam et argentoratensem trigesimam circiter Opii, notante Spielmann in Inst. Mat. m. p. 521; in uncia grana duo seu ducentesimam quadra-

gesimam Opii, notante Murray II. 368, ut adeo Theriaca ter debilior sit. Tractatus vix justiore sententia terminari potest, quam Plinii de ipso hocce Mithridatio agentis verbis (l. 29. c. 1): „Quo Deorum istam perfidiam monstrante! Hominum enim subtilitas tanta esse non potuit: ostentatio artis et portentosa scientiae venditatio est".

Theriaca Andromachi proxima sequitur aetate. Antiquioris Theriacae formula in limine aedis Aesculapii (Romae in insula tiberina) lapidi versibus inscripta fuit, Seculo ante aeram nostram tertio, narrante Plinio 20. c. 24. Nostrae formulam Andromachus senior, Neronis tempore concinnavit, quam monstrum artis pharmaceuticae nominat Murray II. 367. Acrius invehitur Spielmann (Inst. M. m. p. 522): „Inconcinna, si qua alia, compositio, cujus encomia a Galeno proprio tractatu celebrata, absurdissimis hypothesibus nituntur, quidquid virium habet, unice ab aromatibus et Opio, cujus unam decimam circiter habet, pendet. Opprobrio artis omnino medicamentum contra omnes regulas bonae compositionis impingens, a Plinio iam reprehensum, vel hodie adhuc magno fastu adornatur". Qua universale nempe antidotum pompa selectiore eo adhuc tempore parari narratur in Baldingeri Med. Journ. t. 18. p. 42;

quacum Prosper Alpini Theriacam Aegyptiorum parari vidit, quacum adhuc hodiedum Venetiis nostratem parari scimus. Theriaca nomen, Plinio judice, derivat a bestiis, adversus quarum venena adhibetur, imo vero etiam a bestiis Theriacam ingredientibus: Trochiscis nempe, quibus nomen graecum fuit Asterisci theriacae (stellularum theriacalium); Theriacae enim basis viperei pastilli, Piper et Opium (Matthiolus in Epist. p. 186). Compositio enarratur fidissime ab Aetio, minus a Galeno de Theriaca ad Pisonem c. 2, eadem, quam Spielmann in Pharm. gen. p. 61 ingredientibus sexaginta tribus constantem prodit; miscendi rationem exponit Matthiolus (Epist. p. 195 seq.). Aliam formulam enarrat Pharm. würtembergica, gallica: ingredientibus septuaginta duobus et septuaginta uno constantem, quae in uncia Opii grana sex tenet, observante Murray (II. 367) cujusque dosis ex eodem Auctore et Trillero sit drachmarum duarum, triumve. Vis calida, sudorifera remedii indubia est, quae ad summum forte plebi sit in externo usu, contra Hyperemeses, Diarrhoeas, Dysenterias. Andromachum inventorem mane comesto suo antidoto diem a venenis securum agere potuisse narrat Celsus! tempore quo nec venenum nec antidota noverunt. — Alia est, analoga tamen Theriaca Aegyptiorum Tharach faruc dicta, quae Alpini tempore Cairi in templo Morestan dicto

coram medicis publice parabatur (Alpini de medic. Aegyptiorum p. 133), ingredientibus sexaginta et uno constans, quorum elenchum originaria lingva atque latina conscriptum idem observator speciatim enarrat (p. 134—136), simul observans ingredientium doses omnes numeris sex contineri, utpote: 48. 24. 12. 6. 4. 2. (ib. p. 136). — Pharmacopoeae tamen recentiores (excepta gallica anni 1818, quae nomen et stultitiam formulae servavit p. 317 ad 326) Theriacae sub nomine simpliciora mixta uti austriaca anni 1794. p. 64, borussica p. 99, danica p. 118, suecica p. 116, edinensis antiquior praescripserunt, quorum illud suecicae symbolas novem tenens Murray simulacrum solum grandaevae illius compositionis salutat Murray (II. 367); judiciose tamen recentiores Pharmacopoeae uti austriaca, edinensis etc. nomen cum re e Statistica medica eliminarunt. Theriacae castratae videntur esse Electuaria Indorum Bers et Bernavi.

Bers (notans sanitatem sex horarum) Aegyptiis paratur sequente formula:

R. Piperis albi,
Seminis Hyoscyami albi ana drachmas viginti,
Opii drachmas decem,

Spicae indicae,
Euphorbiae,
Pyrethri,
Croci ana scrupulos quindecim.
Contusa misce cum mellis partibus tribus, mixtum stet per menses sex.
Usus est ad deliramenta (Alpini de med. Aegyptiorum 122. b).

Bernavi est Electuarium in Indiis parari solitum, quo tamen aeque utuntur Aegyptii. Compositio quidem ignota est; at virtus Alpinio teste (l. c. 121 seq.) primum hilaritatem per horam, secundo brevem iracundiam, tertio tristitiam et somnum inducendi, dubium de Opii praesentia vix relinquit. Tale gratissimis effectibus continuatis porrectum fuisse videtur Kaempfero in Indiis orientalibus.

Theriacas aliquot castratas recentiorum, hinc illinc adhuc in usu, exponere juvabit.

Electuarium anodynum s. Theriaca Pharm. Austr. Anni 1794. p. 62.

R. Pulveris specierum resolventium uncias octo,
radicis Serpentariae virginianae uncias tres et dimidiam,
Opii purissimi unciam unam,

Roob Juniperi libram dimidiam,
Mellis despumati libras tres et dimidiam,
Aquae Cinnamomi spirituosae uncias quatuor.

Opium solvatur in Aqua Cinnamomi spirituosa, admisceatur Mel et Roob Juniperi et sub finem reliqui pulveres successive, ut fiat Electuarium. (Species resolventes citatae componuntur e floribus Arnicae, Origani, Rosmarini, Rutae, Salviae, Scordii, Serpylli, Thymique).

Electuarium Theriaca Pharm. boruss. p. 99.

R. Radicum Angelicae uncias sex,
Serpentariae virginianae uncias quatuor,
Valerianae minoris,
Scillae,
Zedoariae,
Cassiae cinnamomeae, singulorum uncias duas,
Cardamomi minoris,
Myrrhae,
Croci,
Caryophyllorum,
Ferri sulphurici,
Opii, singulorum unciam unam,
Mellis despumati libras sex.

Melli paululum calefacto addatur Opium, in Vini malacensis quantitate sufficiente dilutum; deinde admisceantur caetera, in pulverem trita. Serva.

Nota. Theriacae hujus unciae singulae continent Opii grana circiter quinque.

Theriaca Pharm. suec. p. 116.

R. Radicis Angelicae uncias octo,
Gentianae rubrae uncias sex,
Valerianae uncias tres,
Zedoariae,
Cardamomi minoris, singulorum uncias duas,
Croci,
Glycirrhyzae succi spissati,
Myrrhae,
Opii, singulorum unciam unam,
Mellis suecici triplum ad pondus omnium vel uncias septuaginta et quinque.

Glycirrhyzae succus, Myrrha et Opium, ex Vino hispanico diluta, primum misceantur cum Melle paulum calefacto; deinde, sub continua agitatione, paulatim adjiciantur caetera, in pulverem tenuem trita. — Si diu servata inarescit, Vino hispanico admixto redigatur in justam spissitudinem.

Electuarium Theriacale s. Theriaca Andromachi correcta Swediaur Pharm. universalis II. 293. eadem haec est formula Pharm. suecicae, adjecta nota: scrupulos quinque continere Opii granum unum.

Electuarium opiatum, olim Electuar. thebaicum Pharm. edinb. p. 103.

R. Pulveris aromatici uncias sex,
Radicis Aristolochiae Serpentariae in pulverem tenuem tritae uncias tres,
Opii in Vini albi hispanici q. s. sit diffusi unciam dimidiam,
Syrupi Amomi Zingiberis libram unam.

Misce, fiat Electuarium. (Pulvis aromaticus citatus constat e Radice Amomi Zingiberis, Cortice Lauri Cinnamomi, Semine Amomi repentis).

Confectio Opii Pharm. lond. p. 125.

R. Opii duri contriti drachmas sex,
Piperis longi fructus unciam,
Zingiberis radicis uncias duas,
Carui seminum uncias tres,
Syrupi octarium (libram civilem).

Opium cum Syrupo calefacto contere; tum caetera contrita adjice et misce.

Philonium romanum Galeni (de compositione medicaminum secundum locos 9. c. 4.) diversum ab eo Philonis est; formulam exhibet Triller in Dispens. Univer. p. 174 e Disp. vienn. würt. brandenb.

Philonium romanum Avicennae exhibet Spielmann in Pharm. gen. p. 60, cujus uncia una sesqui granum circiter Opii vehit.

Philonium persicum Avicennae describit Prosper Alpini de medic. Aegyptiorum l. 4. c. 13. p. 311, formulamque exhibet Triller p. 474. Euphorbium continens nihilominus in cohibendo sangvinis et muci fluxu laudabatur.

Philonium persicum Mesue huic simile describitur in Pharm, lond. brandenb. et würtembergica.

Diascordium, Electuarium opiatum Pharmacopoeae gallicae, Electuarium Cate-

chu seu Confectio japonica Pharmacopoearum trium Britanniae restat, quae mentionem meretur. Constat mixtum opiatum ex aromaticis stipticisque imo terreis, laudatum olim in Peste, Typho putrido, et Diarrhoea (Sydenham in singultu et Diarrhoea febrili adhibuit): quibusdam Germanis (uti Weikardo), Anglis et Gallis hucdum usitatum, ad sistenda alvi profluvia, dosi drachmarum duarum aut trium. Formulam offert Fracastorius de contagionibus et morbis contagiosis l. 3. c. 7. Spielmanni Pharmacopoea gen. p. 56, et Pharm. gallica p. 327—328, quae solum eo differunt, quod Pharm. gallica loco Conservae Rosarum praescribat folia Rosae gallicae, loco seminis Acetosae s. Rumicis Acetosae ea Berberis vulgaris, loco Opii Extractum Opii vinosum. Ratio Opii ad Summam ut unum ad 184 exponitur in Pharm. gallica.

Electuarium e Scordio Pharm. suec. p. 62. (antiq. p. 88).

R. Foliorum Scordii uncias tres,
Catechu,
Fabae Pichurim,
Radicis Tormentillae, singulorum ana uncias duas,
Opii drachmam unam et dimidiam,
Mellis suecici uncias viginti octo.

Opium ex Vino hispanico dilutum addatur Melli paulum calefacto, cui caetera in pulverem trita admisceantur. — Si diu servatum inarescit, ex Vino hispanico iterum conteratur, donec justa crassitudo fiat.

Electuarium e Scordio Pharm. lond. antiq. p. 90. 98. Anni 1788 ab Eschenbach versi p. 152 eadem plane est.

Electuarium Catechu s. Confectio japonica Pharm. edinb. antiquioris.

R. Catechu uncias tres,
Radicis Tormentillae,
Nucis moschatae,
Thuris genuini ana uncias duas,
Opii puri drachmam dimidiam.
Fiat cum Syrupo Rosarum Electuarium.
Laudatur a Roberto Whytt (von Nervenkrankh. p. 251) in Diarrhoeis chronicis, Lienteria Fluxuque hepatico, omni bihorio, trihorio ad scrupulum datum.

Electuarium Mimosae Catechu, olim Confectio japonica Pharm. edinb. recentioris p. 102.

vers. germ. ab Hahnemann. 1798. II. p. 543.

R. Extracti Mimosae Catechu uncias quatuor,
Kino uncias tres,
Corticis Lauri Cinnamomi,
Nucis Myristicae moschatae, uriusque unciam unam.
Opii in Vini albi hispan. q. s. sit diffusi drachmam unam cum semisse.
Syrupi Rosae gallicae ad mellis spissitudinem cocti, libras duas cum quadrante.

Reidigantur solida in pulverem, et admistis Opio et Syrupo fiat Electuarium.
Hahnemann II. p. 544 probat Kino substitutionem loco radicis Tormentillae, notatque Opii granum granis ducentis inesse.

Electuarium Catechu compositum Pharm. dubl. p. 94.

R. Catechu uncias quatuor,
Corticis Cinnamomi uncias duas,
Kino uncias tres,

Pulvera, dein adde
Opii purificati durioris Vino albo hispanico soluti, drachmam unam cum dimidiata,

Syru-

Syrupi Zingiberis ad mellis consistentiam reducti libras duas cum quadrante (ponderis).

Misce.

Nota. Uncia una tenet Opii grana fere duo cum dimidiato.

III. Formae liquidae Opiata sunt Tincturae, Vina, Syrupique, in quibus statuendis, mutandisque aevum omne aliquo judicio, pluri levitate, imo desipientia versabatur.

a. *Aqua Opii Krüger* in Hufelandii Journ. 1818. IX. 4. p. 125.

R. Opii scissi libram unam,
Aquae fontanae libras decem;
e vase retorto in balneo maris posito abstrahantur librae sex.

Nota. Aquam hanc paravit Krüger Pharmacopoeus Rostockiensis odore Opii fortiore, adeo, ut guttae paucae e cubili sensiliores fugare valeant. Professor Masius, praeparationis methodum publicam reddens cum Aqua hacce (a qua merito multum exspectatur, si decompositioni citae obnoxia non est) experimenta se instituturum promisit. Talem jam pridem pararunt Neu-

mann (cujus praeparatum opiatum homines clausos absque propinatione enecans etiam huc spectare videtur, Chymie I. 826), Büchner, Crumpe, Bucholz et Eccard; Leigh plane ex eadem separavit oleum, et Dubuc forma gasis obtinendum Opii activum asserit.

b. *Solutio aquosa.*

Panacea liquida Opii Jones in Mystery of Opium.

R. Opii uncias octo,
digere per sex dies in
Aquae pluviae frigidae libris duabus; tum Vitro per nycthemerum ad latus verso decantha et filtra.

Nota. Est solutio Opii aquosa, colata formae et divisibilitatis adaequatae, verum extemporanea tantum, cum mucori obnoxia mox consumatur.

Mixtur... yna Segniz II. 197.

R. Pul... odyni Segniz scrupulos d...
— drachmam unam,
...unis destillatae uncias d...
— tre...

n
io
re-
e no-
t sol-
atiores!
pe rejectae
ubstituebatur.
am dicta, Piepen-

spasmos coërcendos, meritarumque laudum est contra Metrorrhagiam.

Mixtura sedativa Vogler p. 126.

R. Aquae Florum Acaciae uncias sex,
Nitri depurati scrupulos quinque,
Pulveris granorum Kermes scrupulum unum,
Opii grana tria,
Aceti Rubi idaei,
Syrupi Papaveris Rhoeados ana drachmas sex.
M. D. S. Omni bihorio cochleare unum — duo.

Aut
R. Aquae Florum Acaciae uncias quatuor,
Pulveris Radicis Ipecacuanhae granum unum,
Opii grana duo,
Nitri puri,
Crystallorum Tartari ana drachmam dimidiam,
Syrupi Papaveris Rhoeados unciam dimidiam.
M.

Certissima et secura asserit esse medicamina Vogler in Haemorrhagiis internis: narium, pulmonum, uteri a venaesectione neglecta,

Haemorrhoidibus, mensibusque suppressis, in gravidis.

Solutiones Opii spirituosae aut aromatico vinosae diffusissimi usus, multique sunt momenti:

Tincturam Opii simplicem seu thebaicam vocant Opii solutionem spirituosam, saepe spirituoso-aquosam, cum vel absque aromate; aquosa, praecipue cum aqua Cinnamomi vinosa melior est Tinctura Opii crocata, cum aquosis bene misceatur, alioquin concentrata. Tinctura Opii altera est crocata, s. Laudanum liquidum Sydenhami, aevo veneranda, multoque usu stabilita, summi in arte viri inventoris nomen gerens. Criticam atque conspectum utriusque specialem exponam: multum enim ambae discriminis passae sunt, sed plurimum mutatum fuit Laudanum Sydenhami. Nominis magni etiam umbram aegre ferentes hominum (penes feminas) levissimi, eruditi, studio suum et sua substituendi desudarunt in remedio mutando: plurimi studio formulae novae (proportionem aliam sistentis, aut solvens novum, vix melius!), pauci fundatiores! At usitatissimae formulae adeo saepe rejectae alia tanti usus hactenus non substituebatur. Multa in Sydenhami tincturam dicta, Piepen-

bring anno 1802 (in s. Archiv. f. d. Pharmacie I. d. 351—380) dissertatione fusa lataque (über das sydenhamsche Laudanum) auxit verbis levibus ut plurimum: a), Crocum quibusdam rejectum, forte Opii solubilitatem augere saponaceo suo(?) b), Aromata forte superflua esse, nec tamen nociva (!?). c), Vinum hispanicum non valere pro solvente, cum commerciale saepe adulteratum sit! Augebatur hinc medicorum dubius animus, angore hypothesibusque concitati spectra videntes omni ex parte in Opii tincturam crocatam bellacientes perituras chartas repleruntt chriis; dissertationibus super Laudano liquido Sydenhami. Finis incursuum non tulit fructum, nec dubios pacavit animos. Mihi placeat remediis liquidis aquosis adjicere solutionem Opii aquosam extemporaneam, spirituosis vero pro re nata Tincturam Opii simplicem, aut crocatam Vino vel Aqua Cinnamomi vinosa solutam, singulam absque alio aromate: momenta tamen parandae utriusque Tincturae graviora hic explanabo.

Fundamenta mutatae formulae (praecipue Laudani liquidi Sydenhami) sunt contenta atque qualitates mixti, quas scopo medico minus convenientes speciatim enarrat Segnis (II. 197), quibus adhuc alia adjicienda esse putavi: 1), additamenta aromatica, et Crocus,

Sydenham enim suae formulae, errore galenico addidit calida, quae Opio minus bene addi evictum esse observat Spielmann (Pharm. gen. p. 98). 2). Solutum inaequale, Opium nempe solido-molle, aut friabile, vel pulveratum. 3). Solvens inaequale: Vinum hispanicum, Vinum aliud, imo Aqua Cinnamomi, quae omnia variant; primum quidem etiam adulteratur. E Vino mox deponi sedimentum copiosum quidam asserunt; Alcohol solvere multum Resinae Cullen, dilutum generatim plus solvere Alston, aliique omnes, Resinae vero plurimum relinquere, alioquin nimis stimulantis (Segniz II. 198). 4). Inspissatio ope digestionis est incerta, varia; Pharmacopoea borussica addendo Vinum ad mixtum ingredientium pultem sistit, e qua liquidum difficulter separabile est. 5). Remedium paratum spirituosum aquosis turbatur, sedimentum deponendo, quod etiam mora comparet. — At in obversum laudabilia cernas: 1). Additamenta aromatica ventriculo sensiliori, debili grata bene perferuntur, Ophthalmiis experientia teste conveniunt; Crocus affectionibus hystericis, morbis pectoris, spasmis saepe consultus est. 2). Solutum aequabile erit pulvis Opii duri, praeeunte Pharmacopoea londinensi. 3). Solvens aequabile sit Aqua aromatica cum pauco Spiritu, certae concentrationis; e tali minus praecipitari observatum habetur, aquosis bene miscibili. 4). Forma

liquida guttans ante omnia secum vehit miscibilitatem cum liquoribus aliis: spirituosis, aquosis (addito gummi oleosis): ad formam Ungventi, Linimenti, Injectionis, Clysmatis, Collyrii. Saepe miscetur Tinctura Opii utraque Aetheri, Liquoribus acidis dulcificatis, Oleis empyreumaticis, aromaticis, Camphorae, Ammonio carbonico pyro-oleoso, Vino stibiato etc. 5). Forma liquido-guttans divisibilitatem procurat atque dosim in minimis certam. Spasmis affecti nonnunquam aegri liquida quaecunque nauseantes respuunt, quibus paucae Laudani Sydenhami prosunt guttae (Jahn II. 273). 6). Debite tandem parata Tinctura utraque Opii actuosas exhausit partes.

Variam adeoque parandi rationem utraeque Tincturae sortiebantur, quam optime atque brevissime in Tabula obtutui sistam.

Opii tinctura simplex.	Opii tinctura crocata.
	Op. 16. Croci 8. Cinn. Caryoph. 1. Vini hisp. libr. 1.
1762. 788. Opii drach. 10. Spir. V. libr. 1. ultima Op. dr. 8. Cinn. Car. 1. —	1762. Extr. Opii dr. 16. Croci o. Cinn. Car. 1. V. his. libr. 1. ult. omissa.
ant. Extr. Opii Vin. alb. unc. 16. rec. Opii 8. Sp. V. libr. 1.	Opii 16. Croci 8. Aquae Cinn. vin. unc. 20. anni 1783 unc. 16.
Opii 10. Sp. V. — 1.	
A. 779 et 87. Op. 16. Aq. Cinn. v. unc. 16. Sp. V. 4.	Opii 2. Croci 2. Succi Liquir. 14. V. hisp. unc. 10.
— $14\frac{1}{2}$. An. Cinn. unc. $9\frac{5}{8}$ Sp. V. $2\frac{3}{8}$	
Opii 8. Vin. hisp. libr. 1.	Extr. Opii 16. Croci 4. Cinn. Car. 1. Vini hisp. libr. 1.
1801-5. Op. 16. Aq. Cinn. simpl. et Sp. V. ana. unc. 6.	Opii 16. Croci 6. Cinn. Car. 1. Vin. hisp. libr. 1.
Opii 16. Sp. V. unc. 4. V. gall. libr. 1.	Opii 8. Croci 6. Flor. Cass. 1. Vin. hisp. unc. 9.
Extr. Opii vin. 8. Vin. hisp. unc. 8.	
1792.	Opii 8. Croci 4. V. hisp. libr. 1. Sp. V. unc. 2.
Extr. Opii $10\frac{2}{3}$. Aq. Cinn. v. libr. 1.	ad Form. Sydenhami
1794. Opii 16. Sp. V. libr. 1. 1814.	Opii dr. 16. Aqua Cinn. v. libr. 1. 1814. omissa.
Extr. Opii aquos. 8. Alcoh. 22. B. libr. 1.	Op. 16. Croci 8. Cinn. Car. 1. V. mal. libr. 1.

Tabula

solventis et Opii solvendi pro utraque tinctura Opii.

	Tinct. Opii simplex.	Tinct. Opii crocata.
Solvens.	Vinum hisp. lond. rec. hass. dan. V. album gener. edinb. V. gall. et Sp. V. gall. lipp. Sp. V. vulg. lond. ant. aust. gall. (t. Op. edinb.). Sp. et Aq. Cinn. simpl. boruss. Sp. et Aq. Cinn. vinos. ross. suec. Eccard. Aq. Cinn. vinosa würt. edinb. (t. thebaica.)	Vin. hisp. s. malacense Sydenh. dan. boruss. hass. lipp. gall. V. album lond. ant. V. hisp. et Sp. V. brem. Alcoh. et Aq. Cinn. spl. Dörffurt. Aq. Cinn. vinos. lond. ant. austr. 1794.
Solutum.	Extr. vinosum hass. Extr. aquos. gall. edinb. Opium pulv. austr. lond. lipp. Eccard. — commin. boruss. — durum pulv. lond. dubl.	Extr. aquos lond. ant. dan. Opim pulv. Dörffurt. Piepenbring. — commin. gall. boruss.

Caeterae Opium simpliciter assummendo!

Sydenham non notando calorem, et tempus, digestioni Laudani sui necessarium, lapsus est. Formulam viri summi intactam suam fecerunt auctores Pharm. würtembergicae anni 1771. II. 104. anni 1786. II. 94, Disp. borusso-brand. anni 1781. II. 50. Pfingsten deutsches Disp. 1795. p. 563. Schlegel et Wiegleb d. Apothbuch II. 563. — Crocum prima imminuit Pharm. brunsvic. anni 1777. danica 1786. borussica 1801 ad dimidium seu drachmas quatuor; penitus omisit Lewis (br. Disp. 81. Ed. orig. Ph, lond. 62.), dein Pharm. suec. anni 1779, atque Eccard 1800. — Caryophyllos omisit Pharm. austr. anni 1794; aromata penitus omisit Plenck in Pharm. chirurg. p. 90. — Saccharum pro juvamine solutionis primus adjecit publice Piepenbring 1802, et Dörffurt 1806, qui tamen annis decem ad minimum hac se uti methodo fatebatur (D. Apothbuch II. c. 2911); succum Liquiritiae jam 1787 Pharm. suecicae editores addiderunt Tincturae Opii crocatae, sub nomine Elixirii Papaveris. — Solvens Vinum hispanicum adhibuere londinenses usque 1762, dum primi Aquam Cinnamomi vinosam in usum vocare constituerunt (Lewis II. 114); hos secuta Pharm. edinburgensis antiquior. E Spiritus Vini rectificati una, Aquae Cinnamomi vinosae quatuor partibus cohaerens mixtum praescripsit Pharm. suec. anni 1779; pro Opii solutione tres Vini hispanici, pro Croci diremta Spiri-

tus Vini rectificati quatuor proportiones assummere jussit Pharm. bremensis anni 1792. — Tincturam tandem Opii crocatam totam omiserunt Pharmacopoea londinensis jam anno 1788, dein edinburgensis, tandem austriaca anni 1812 et 1814.

Variat tamen tinctura Opii utraque non tantum methodo parandi et ingredientium quantitate, de quibus bona Piepenbring (Arch. f. d. Pharm. I. St. 4. p. 351), Remer (ib. III. St. 1. p. 97.) et Dörffurt Apothbuch II. c. 2907 —11), verum et qualitate ingredientium, laboris tempore, filtratione. Qualitas Opii tenacis pulverati, duri contriti, imo Extracti plurimum variabit Tincturas; Pharm. lond. jam olim Opium praescripsit durum contritum; arte simpliciter pulveratum praeferendum, extractum pessimum esse scriptores Pharmaceuticae boni uno asserunt ore (Piepenbring, Dörffurt, Hagen etc.). Solvens Alcohol dilutum ad scalae gradus sit (930 londinensibus, 190 austr.); optime solvitur Opium Aqua Cinnamomi vinosa; huic unam tertiam Alcoholis adjecit Eccard, aequalem Dörffurt. Calor balnei aquae, tempus digestionis unciae unius Opii medium sit dierum 3—5 ad summum septem. Opium Crocumque separato solvente extrahere exacti Pharmaceutae praeamant (Dörffurt, Bremenses). Decanthatum li-

quorem post subsidentiam per chartam Aqua Cinnamomi vinosa praevie inbutam colare potis est.

Contentorum in tincturis Opiatis ingredientium proportio a scriptoribus varie determinata est. Omnes olim, plurimi modo asserunt: continere Opii partes t o t; primaPharm. borussica anni 1813 statuit, drachmam tincturae suae (cujuscunque opiatae) tenere solutum ex t o t Opii granis. Quod rectius, nec tamen plane veritati consentaneum esse observat Dörffurt (II. c. 2911), cum liquor vix sit ponderis affusi, nec aucti! cum puls oriatur affusione solventis, alioquin pauci, ad ingredientia Laudani liquidi Sydenhami praevie mixta, unde extractio debita oriri nequit. Utramque tamen tincturam Opii ejusdem concentrationis fecere auctores Pharmacopoeae borussicae. A posteriori jam olim londinensesOpii quantitatem determinare conabantur: e relicto per inspissationem residuo. Alston ScotusAlcohole diluto factam per mensemOpii solutionem continere $\frac{9}{12}$ Opii sicci s. $\frac{3}{4}$; scotici Disp. auctores e drachma utriusque tincturae evaporatione Opii grana $3\frac{1}{2}$ (N. edinb. Disp. II. 428), tandem Londinenses e drachma tincturae Opii in Alcohole diluto (gr. 0,930) digestione mensium duorum, obtentae evaporatione similiter residua habuerunt grana $3\frac{14}{20}$ s. $3\frac{2}{3}$ (Mon-

ro AML. II. 173). Tempore tamen mutatur ! spirituosa soluti $\frac{1}{4}$ tam sedimenti deponit (auctore Piderit) minus vinosa: Gummi putat Segniz secedere II. 198; at evaporatione solventis aëre admisso, etiam resina subsidebit. Hinc minore quantitate parandum remedium, et ab aëre cavendum est.

c. Solutio spirituosa simplex,
s. absque aromate.

Tinctura Opii Pharm. lond. anni 1788.

R. Opii purificati duri pulverati drachmas decem.
Spiritus Vini uncias duodecim (mensurae).
Digere per decem dies et cola. ($\frac{1}{9}$ circ.)

Tinctura Opii Pharm. lond. p. 107.

R. Opii duri contriti uncias duas cum semisse,
Spiritus tenuioris octarios duos (libras duas civiles).
Macera per dies quatuordecim et cola ($\frac{1}{6}$ cir.)

Tinctura Opii Pharm. austr. p. 109. s. Tinct. anodyna Pharm. austr. anni 1794. p. 130).

R. Opii pulverati uncias duas,
Alcoholis 0,910 libram unam.
Digerantur ad perfectam solutionem et filtrata serventur. ($\frac{1}{8}$).

Tinctura anodyna Segniz II. 199.

R. Opii puri pulverati unciam unam,
Spiritus Vini diluti uncias sex.
In cucurbita vitrea ope vesicae pertusae clausa digere leni calore per quatuor dies.
Nota. Guttae quatuordecim seu grana septem tenent grani unius Opii vires. Dosis infantibus detur ad guttam unam, duas; adultis ad guttas quindecim — triginta. ($\frac{1}{8}$).

Tinctura Opii simplex Pharm. dan. p. 179.

R. Opii unciam unam,
Vini hispanici uncias duodecim.
Digerantur per triduum et serventur.
Nota. Drachma grana decem continet Opii. ($\frac{1}{12}$).

Tinctura Opii s. thebaica, vulgo Laudanum liquidum Pharm. edinb. p. 55.

℞. Opii uncias duas,
Alcoholis diluti libras duas.
Digere per dies septem et per chartam cola (olim digerebatur per dies quatuor). $\frac{1}{12}$.

Tinctura sedativa externa Swediaur Pharm. gen. III. 535.

R. Opii unciam unam,
Alcoholis diluti libram unam.
Digere per octiduum saepius agitando vas, dein cola.
Usus externus in ulceribus syphiliticis rebellibus, Herpete, Serpigine, Spasmis, Odontalgia, Otalgia, Ophthalmia venereis. ($\frac{1}{12}$).

Tinctura Opii Pharm. dublinensis p. 72.

R. Opii duri et purificati in pulverem rudem redacti drachmas decem,
Spiritus tenuioris libram unam (mensurae).
Digere per septem dies et cola. ($\frac{1}{9}$).

Tin-

Tincturam Opii Wurzer (Salzb. med. chir. Ztg. 1805. IV. 81—85) parari jubet colatione Opii in ana Alcoholis et Aquae.

Tinctura Opii Disp. lipp. II. 207.

R. Opii puri pulverati uncias duas,
Spiritus Vini gall. uncias quatuor,
Vini gall. albi libram unam.
Cucurbitae vitreae vesica perforata claudendae immissa, digerantur lenissimo calore per quatuor dies, postea tinctura filtretur et in vitro optime clauso servetur.

Tinctura thebaica edinburgensis s. Laudanum liquidum Sydenhami Pharm. edinb. antiq.

R. Extracti Opii uncias duas,
Vini albi generosi uncias sexdecim.
Digere per tres dies; tum filtra et serva usui.

Nota. Tinctura tenet unam octavam de Opio. Dosis est guttarum decem ad triginta; vis narcotica, sopiens, anodyna.

Tinctura de Extracto Opii Pharm. gall. p. 122.

R. Extracti Opii aquosi 30 (1).
Alcoholis 12=22 B. 360 (12).
Reponantur in vase vitreo probe obturato, donec solutum sit Extractum. Absoluta solutione coletur et servetur ad usum.
Nota. Guttae viginti quatuor adpendent grana duodecim, et tenent granum unum Extracti.

Tinctura Opii vinosa Pharm. hassiacae p. 226.

R. Extracti Opii vinosi unciam unam,
Vini hispanici uncias octo.
Solve.
Nota. Drachma una tenet grana Extracti 6 $\frac{2}{3}$ (non 1 $\frac{1}{2}$ prout Arnemann AML. I. 381 asserit), guttae decem granum unum Opii.

β. cum Aromate.

Tinctura Opii simplex (tinctura thebaica) Pharm. boruss. p. 168.

R. Opii comminuti uncias duas,
Spiritus Vini rectificati,

Aquae Cinnamomi simplicis, singulorum uncias sex.

Digere, donec Opium solutum sit; cola et serva. (Ed. Pharm. boruss. secunda 158 praescripsit digestionem per triduum).

Nota. Drachma solutum ex granis decem Opii continet (guttae octo tenent circiter ex grano Opii).

Tinctura thebaica Pharm. suec. p. 122.

R. Opii uncias duas,
Spiritus Vini rectificati uncias quatuor,
Aquae Cinnamomi (vinosae) uncias sedecim.
Digere per triduum, deinde cola.

Tinctura sedativa s. hypnotica Swediaur Pharm. gen. II. 444.

R. Extracti Opii uncias duas,
Alcoholis uncias sex,
Aquae Cinnamomi uncias decem.
Digere per octiduum, et cola.

Nota. Drachma una continet circiter grana Opii octo. — Dosis est guttarum viginti.

Tinctura sadativa mitior Swediaur H. 445.

R. Opii drachmam unam,
Alcoholis uncias decem,
Aquae Cinnamomi uncias viginti.
Digére per decem dies et cola.
Nota. Uncia dimidia tenet granum unum Opii.

Essentia anodyna Pharm. edinb. antiquiss. p. 86. Spielmann p. 85.

R. Extracti Opii aquosi unciam unam,
Aquae Cinnamomi vinosae uncias novem.
Digere, filtra.
Nota. Tenet unam dimidiam Opii; dosis est guttarum quindecim. Ed. anni 1774 Opii drachmas duas in ana unc. 20. Aquae Flor. Cassiae et Spir. Vini rectif. solvi jussit.

Essentia anodyna officinalis Pharm. würtemb. antiq. p. 68.

R. Extracti Opii aquosi unciam unam,
Aquae Cinnamomi vinosae uncias novem.
Digere et filtra. — Tenet unam decimam Opii.

Tinctura thebaica s. Laudanum liquidum Pharm. lond. antiq.

R. Opii colati uncias duas,
Caryophylli aromatici,
Cinnamomi ana drachmam unam,
Vini albi uncias duodecim.
Macera per hebdomadem sine calore, dein per chartam cola.

Tinctura Opii Eccardi.

R. Opii unciam unam,
Caryophyllorum drachmam dimidiam,
Aquae Cinnamomi vinosae uncias quatuor,
Alcoholis uncias duas.
Digere per sex dies.

Nota. Guttae decem Opii tenent granum unum. Eccard diess. de analysi Opii, Babenbergae 1800. Marcus Prüfung I. 3. p. 102. Röschlaub Mag. I. St. 1. Asserit Eccard, Tincturam suam nec mora, nec Aqua praecipitari, quod tamen fieri, si minus bene paretur, asserit Voigtel. Citati scriptores eam praeferunt, cum plus Opii teneat, hinc actuosior, et magis anodyna, somno leniore producto, minus tamen calefaciens, ac Laudanum Sydenhami (Busch Almanach IV. p. 276).

Vinum Opii Pharm. lond. p. 114.

R. Extracti Opii unciam,
Cinnamomi Corticis contusi,
Caryophyllorum contusorum, singulorum drachmam,
Vini octarium (libram civilem).
Macera per dies octo et cola.

Tinctura Opii Disp. lipp. rec. s. Ed. german. II. 321.

R. Opii pulverati uncias duas,
Caryophyllorum drachmam semis,
Aquae Cinnamomi uncias octo,
Alcoholis uncias quatuor.
Post digestionem dierum sex usque octo filtra, et serva.

Tinctura Opii s. thebaica Pharm. fuldensis.

R. Opii crudi unciam unam,
Aquae Florum Chamomillae uncias sex,
— — Cassiae vinosae uncias duas.
Digere per triduum et cola.

d. *Solutio spirituosa crocata s. Laudanum liquidum Sydenhami.*

Laudanum liquidum Sydenhami (Sydenham Opera omnia Amst. 1683. p. 163. Lug. Bat. I. p. 185. alt. Ed. p. 189).

R. Opii uncias duas,
Croci unciam unam,
Cinnamomi,
Caryophyllorum ana drachmam unam,
Vini hispani (malacensis) libram unam.
Digere per dies duas, tresve in Balneo maris ad consistentiam debitam. Cola.

Nota. Drachma Laudani Syd. tenet Opii grana decem, Croci quinque (Linné Amoen. acad. VIII. 294. Spielmann Pharm. gen. p. 98. Murray App. II. 365); adeoque Opii unam sextam circiter (Spielmann Inst. p. 520); grana septem s. guttas quatuordecim tenere Opii granum unum asserit Pharm. austr. anni 1794, guttas decem tenere unum Jahn II. 273 asserit. Sydenham auctor est guttas sui Laudani sexdecim vim exserere tantam, quam uncia Syrupi de Meconio Op. II. 376.—*Dosis* est guttarum sex ad decem (Erl. östr. Pharm. I. 347), sex ad quindecim (Schulz prael. in Ph. brand. p. 173), quinque ad quindecim (Arnemann I. 381), sex ad sedecim (Murray II. 365), decem ad quadraginta in casibus extraordinariis (Arnemann). Ma-

gnae doses conveniunt debilitati indirectae: spasmis, doloribusque; tunc guttas nonaginta dedit in Febri intermittente nervosa soporosa Fr. Hoffmann, alias guttas ducentas ad semel Brown, et intra nycthemerum uncias viginti alter Anglus. — Eadem est formula Pharmacopoeae londinensis, edinburgensis, parisinae, würtembergicae antiquissimarum, et gallicae recentissimae.

Vinum de Opio compositum (Laudanum liquidum Sydenhami) Pharm. gallicae p. 101.

R. Opii selecti et in taleolas secti uncias duas vel 64.
Croci sativi unciam unam 32.
Cinnamomi drachmam unam 4.
Pulv. Caryophylli aromatici drach. unam. 4.
Conjice in matratium et superaffunde
Vini malacensis optimi libram unam 500.
Macerentur leni calore per quindecim dies, identidem agitando. Cola cum forti expressione et per chartam trajice.

Nota. Adhibetur Opii ad Vinum proportio una octava, continetur una decima sexta. Guttae viginti quatuor tenent Opii soluti granum unum.

Tinctura Opii crocata s. Laud. liquid. Sydenhami Pharm. boruss. p. 168. Ed. 2. p. 158.

℞. Opii comminuti uncias quatuor,
Croci unciam unam et dimidiam,
Caryophyllorum,
Cassiae cinnamomeae, singulorum drachmas duas,
Vini malacensis uncias viginti quatuor.
Infunde ac digere, donec Opium sit solutum; tum exprime; post subsidentiam cola ac serva.

Nota. Drachma continet solutum ex Opii granis decem.

Tinctura Opii crocata s. Laudanum liquidum Sydenhami Pharm. dan. p. 178.

℞. Extracti Opii uncias duas,
Croci optimi semunciam,
Cinnamomi acuti,
Caryophyllorum aromaticorum, singulorum drachmam unam.
In pulverem trita infundantur
Vini hispani libra una.
Digerantur per triduum, vel quadriduum; deinde colentur et exprimantur.

Nota. Drachma continet Opii grana decem.

Elixir Papaveris Pharm. suec. p. 65.

R. Succi Liquiritiae unciam dimidiam,
Croci,
Opii, singulorum scrupulos quinque,
Vini hispanici uncias decem.
Digere per quadriduum et cola.

Tinctura Opii crocata Dörffurt (Neues deutsches Apothekerbuch II. c. p. 2911).

R. Pulveris Opii puri uncias duas,
— Sacchari unciam unam;
Alcoholis,
Aquae Cinnamomi simplicis, singulorum uncias quatuor.

Liquorem pulveribus in sartagine stannea, balneo maris imposita, sensim affunde, continuo terendo cum spathula lignea, dein coletur. Residuum in sartagine stannea iterum similiter tere cum infusi filtrati unciis duabus, digerendo parati ex
Caryophyllorum,
Cinnamomi, singulorum drachma una,
Alcoholis,
Aquae Cinnamomi simplicis, ana.

Colaturae expressae, cum praecedente liquore mixtae affunde tincturam ex
Croci uncia una,

Vini malacensis unciis sex, digestione aliquot dierum et expressione paratam, mixtas agita. Post subsidentiam aliquot dierum decantha, et sedimentum per filtrum, praevie aqua Cinnamomi vinosa humefactum, trajectum adjice tincturae. — Tinctura haec, auctore describente, est coloris profunde fusci, in subaureum vergentis, consistentiae oleosae, odoris cinnamomei et caryophyllini, saporis croco-opiati.

Tinctura anodyna composita Pharm. austr. anni 1794. p. 131.
Essentia anodyna s. Laudanum liq. Syd. Pharm. austr. anni 1774. p. 166.

R. Opii puri uncias duas,
Croci austriaci unciam unam,
Aquae Cinnamomi vinosae libram unam.
Macerentur in vase clauso ad perfectam Opii solutionem, et filtrata serventur (in balneo arenae per duos vel tres dies donec liquor saturate tinctus fuerit. Ed. anni 1774).

Tinctura Opii s. thebaica Plenck. Pharm. chir. p. 43.

R. Extracti Opii uncias duas,

Croci austriaci unciam semis,
Vini hispanici uncias duodecim.

Infundantur omnia; post triduum colentur et exprimantur.

Cum Oleo Hyperici subactam ad vulnus Tetanum producens adhiberi suadet auctor, ob vim anodynam antispasticam.

e. *Solutio spirituosa camphorata*, *s. benzoica.*

Tinctura Opii camphorata Pharm. lond. anni 1788.

s. Elixir paregoricum lond.
Tinct. sedativa camphorata Swediaur II. 445.

R. Opii purificati duri,
Florum Benzoës,
Olei essentialis Anisi ana drachmam unam,
Camphorae scrupulos duos,
Spiritus Vini tenuioris uncias viginti quatuor.

Digere per triduum et cola.

Tinctura Opii camphorata s. Elixir paregoricum Pharm. dubl. p. 72.

R. Opii duri et purificati in pulverem redacti,

Acidi benzoici,
Olei essentialis Anisi ana drachmam unam,
Camphorae scrupulos duos,
Spiritus tenuioris libras duas (mensurae):
Digere per septem dies et cola.

Tinctura Opii benzoica (Elixir paregoricum) Pharm. boruss. p. 167. Ed. 2-dae p. 157.

R. Opii,
Acidi benzoici,
Camphorae,
Olei aetherei Anisi singulorum drachmam unam,
Spiritus Vini rectificati libras duas.
Digere et filtra.

Nota. Solutum ex Opii granis duobus cum dimidio quaelibet Tincturae uncia habet. — Dosis est guttarum decem ad centum. Vis stimulans diaphoretica, agens in pulmones et cutim: in morbis pectoris chronicis mucosis: Asthmate, Catarrho, Rheumatismo chronico, absque febri.

Elixir paregoricum londinense. Pharm. danicae p. 120.

R. Acidi benzoici,

Opii, singulorum drachmam unam,
Camphorae scrupulos duos,
Olei Anisi drachmam dimidiam,
Spiritus Vini rectificati uncias viginti quatuor.

Mixta digere leni calore et colà.

Nota. Quaelibet uncia Opii circiter grana duo continet.

Tinctura Opii benzoica composita (Elixir sudoriferum Lettsom apud Augustin Pharm. ext. p. 173).

R. Rad. Ipecacuanhae,
Balsami tolutani, ana unciam dimidiam,
Acidi benzoici,
Opii colati,
Croci ana drachmas duas,
Camphorae scrupulos quatuor,
Olei Anisi aetherei drachmam unam,
Spiritus Vini rectificati libras duas.

Digere et cola. Uncia dimidia continet Opii grana duo. Inventor Lettsom remedium laudat in Tussi convulsiva (mem. of. the gen. dispensary of London for 1773. 74); similiter Danz (in der Geschichte des Keichhustens), et egregium saepe vidit effectum Augustin. Dosis est guttarum quinque ad triginta.

Tinctura Opii camphorata Pharm. lond. anni 1788 desumta est ex Le Mort, cui Elixir asthmaticum dicitur, omissis tamen Melle, succo Liquiritiae, atque Alcali, quae ab aliis Pharmacopoeis (uti sequens monstrabit articulus) restituebantur. Remedium praestans in morbis pectoris (Catarrho inveterato, Pertussi, et Asthmate) titillationem inhibens, exscreationem promovens, vi agit necdum cognita, cum Camphora Opii actionem inhibeat (forte suffert?): dandum prolibus dosi guttarum quinque ad viginti, adultis viginti usque centum. Praescriptio praecitata in mensura unciae dimidiae tenet Opii circiter granum (N. Edinb. Disp. II. 430 et Nota Hahnemanni).

f. Solutio alcalina: cum Ammonio, cum Kali.

Tinctura Opii ammoniata, olim Elixir paregoricum Pharm. edinb. antiq. N. edinb. Disp. II. 429. rec. p. *55*.

R. Acidi benzoici,
Croci anglici concisi, utriusque drachmas tres,
Opii drachmas duas,

Olei volatilis Pimpinellae Anisi drachmam dimidiam,
Alcoholis ammoniati uncias sexdecim.

Digere per dies septem in phiala clausa et per chartam cola. — Differt ab Opii Tinctura camphorata Pharm. lond. ant. adjecto Ammonio, cujus tamen pars acido benzoico neutralisatur, omissa vero Camphora.

Elixir ammoniato-opiatum Pharm. boruss. p. 100.

s. Elixir ex Succo Liquiritiae.

R. Succi Liquiritiae depurati uncias duas,
Aquae Foeniculi uncias sex,
Solutis et colatis adde:
Liquoris ammonii anisati uncias duas,
Tincturae Opii crocatae drachmas duas.

Nota. Uncia continet solutum ex Opii granis duobus.

Tinctura Opii ammoniata s. Laudanum liquidum Warneri Pharm. dan. p. 178.

R. Opii puri,
Saponis alicantini, singulorum drachmas sex,
Nucis

Nucis moschatae contusae drachmam unam,
Camphorae drachmas duas,
Croci concisi grana quadraginta,
Liquoris Ammonii vinosi uncias novem.
Digerantur per dies novem, interdum conquassando et decanthentur.
Nota. Drachma continet Opii grana quinque cum dimidio.

Laudanum liquidum Willisii Pharm. rat. p. 176. est Opii solutio in tinctura Salis Tartari (Kali subcarbonici) longa digestione, ad summam rubedinem, cui dein additur Crocus, Castoreum, Caryophylli et Lignum Aloës. — Dosis erat guttarum quindecim ad viginti quinque. — Tale, magis compositum est Laudanum liquidum tartarisatum Pharm. batean. p. 88.

Tinctura antisyphilitica Besnardi.

R. Kali subcarbonici,
Aquae Cinnamomi simplicis, singulorum uncias duodecim;
solve et solutioni factae adde alteram ex
Opii unciis duabus
in

Aquae Cinnamomi vinosae unciis quatuor.

Digere in balneo maris per tres hebdomadas, saepius agitando. Filtratae solutioni adde aliam e

Gummi Mimosae unciis duabus,

Ammonii subcarbonici uncia una

in

Aquae Cinnamomi unciis sex.

Post quietem aliquot dierum filtratum

D. usui.

In omni Syphilide laudat auctor, interno et externo usu. Dosis ingesta per Nycthemerum sit tripla guttarum viginti quatuor in decocti Althaeae frigidi phiala, morbo decrescente bis, tandem semel per diem. Externe autem quantitas frigide adplicari jubetur: Bubones bis inungantur, interea tegendi mixti ex Emplastri diachyli simplicis uncia una et Saponis hispanici drachma dimidia. In Blennorrhoea inflammatoria pars balneetur, et remedium semel, inflammatione vero finita ter sumatur. Simul usus fiat balneorum alcalinorum.

g. *Solutio acida: utplurimum Aceto.*

Laudanum liquidum Helmon-

tii Willis Pharm. rat. p. 176 paratur e Croco et Opio solutione in Succo Cydoniorum, ope floris Cerevisiae in fermentationem acto, cui dein adduntur Aromata, mixtumque inspissatur ad residuum dimidii. Dosis erat guttarum quindecim ad viginti remedii, quod Willis in Dysenteria saepe feliciter adhibuit. — Tale est Laudanum liquidum cydoniatum Willisii ad Pharm. bateanam p. 87.

Vinum opiatum fermentatione paratum (Guttae s. Laudanum Abbatis Rousseau) Pharm. gall. p. 101.

R. Mellis albi uncias duodecim vel 375,
Aquae calentis libras tres 1500,
Solutum Aqua Mel in matratium conjiciatur, et reponatur in loco calido, ubi autem fermentescere incipiet, addantur
Opii selecti unciae quatuor 128,
soluti prius in
Aquae unciis duodecim 384
Sinito haec simul fermentescere pergant per mensem in loco, qui ad gradum 24 R. seu 30 C. tepescat. Liquorem percolatum trajice per chartam, dein vaporet, donec supersint unciae decem vel 320.

Cola iterum et adde Alcoholis 22=32 B. uncias quatuor et semis, vel 144.
Serva in vase accurate clauso.

Nota. Granum unum continetur in guttis circiter septem.

Guttae nigrae (Anglorum) e Carolo Scudamore.

R. Opii libram dimidiam,
Aceti Pyri mali sylvestris libras quatuor,
Nucis moschatae unciam unam et dimidiam,
Croci unciam dimidiam,
Sacchari uncias tres.

Mixtum ope fermenti Cerevisiae fermentet; post moram sex septimanarum aëre inspissatum ad consistentiam Syrupi decantha et filtra.

Nota. Vis guttarum nigrarum ad eam tincturae Opii londinensis est uti tria ad unum. Celebris apud Anglos arcani antarthritici nomen fert.

h. *Solutio Opii spirituosa cum Neutrali*

fuit Essentia Opii Wedelii, quae ab initio usque medium seculi decimi octavi

in Germania celebris fuit, constans ex Extracto Opii cum Kali acetico parato et in Spiritu Vini soluto.

i. *Solutio antimoniata.*

Solutio Opii antimoniata Lewis.

R. Tartari emetici grana octo,
Opii grana sex
solve in
Spiritus Vini diluti unciis septem.
D. S. mane et vesperi cochlear unum. — Asserit auctor, remedium sedare dolores absque vomitu; at in Germania causare emeses notat Segniz II. 413.

Solutio Opii antimoniata Monro.

R. Vini antimoniati drachmas tres,
Tincturae Opii drachmam unam.
Misce. Dosis adulto danda est guttarum triginta, sexaginta, adscendendo ad centum quinquaginta. — Remedium ante usum exagitandum est, cum ex eo multum Opii subsideat.
Observat auctor esse diaphoreticum optimum valens in Febribus intermittentibus, Hydrope, Diarrhoea pervicace, praecipue rheumati-

ca, catarrhali. Absque Emesi bene agere notat Segniz II. 413.

Liquor resolvens opiatus Riemer.

R. Vini antimonialis unciam unam,
Opii depurati s. Extracti Opii aquosi grana duodecim.
Misce.
Nota. Guttae liquoris viginti quatuor tenent circiter granum Opii dimidium. Dosis est guttarum viginti ad triginta.

Van der Haar mixtum Opii antimoniatum laudat in Lumbagine, Ischiade, Rheumatismo frigido prae frictionibus, ungventis, vesicantibus et evacuantibus; ejus usum suadet in Emaciatione, Arthritide, Syphilide et harum Neurosibus: dolore nempe atque Haemicrania venereis; multi facit secundum Bromfield in Encephali commotione, atque Spasmis post operationes magnas obortis, tandem in Ophthalmia, Ulceribusque. Praevertere tandem asserit Lactis metastasim ad abdomen.

k. Tinctura Ipecacuanhae opiata Pharm. edinb. anni 1795.

R. Tincturae Opii crocatae guttas quindecim,

Tincturae Ipecacuanhae guttas quadraginta,
Liquoris Ammonii acetici unciam dimidiam,
Aquae Rosarum unciam unam,
Sacchari albi drachmas duas.

Misce. Robertus Whytt remedium (utique succedaneum Pulveris Doveri) laudat in doloribus capitis periodicis a statu gastrico, aut suppressis consuetis evacuationibus. — Dosis est Cochleare parvum.

1. *Syrupus opiatus*, qua praeparatum statarium exulere potest, cum ex tempore praescribi, imo in mixtis addito ad solutiones dulces Opio, sisti valeat.

Syrupus opiatus Pharm. boruss. p. 157. Ed. 2. p. 150.

R. Extracti Opii grana viginti quinque.
In Vini malacensis uncia una soluta admisce
Syrupi Liquiritiae unciis viginti quatuor.

Nota. Uncia una hujus Syrupi continet granum unum Extracti Opii.

Syrupus de Opio Pharm. gall. p. 136.

R. Extracti Opii aqua frigida parati drachmas tres et grana sexaginta vel 15.
Aquae uncias duas vel 64.
Syrupi de Saccharo simplicis libras novem cum unciis novem et semis vel 4,800.
Solvatur in Aqua Extractum, addito dein Syrupo accurate misceatur; bulliant aliquantisper, fervensque Syrupus per pannum trajiciatur. Serva.
NB. Syrupus in uncia tenet Extracti grana duo.

Syrupus Opii Pharm. dubl. p. 80.

R. Extracti Opii grana viginti octo,
Aquae bullientis uncias octo (mensurae).
Macera, donec Opium fuerit solutum; dein miscelae adde Saccharum, ut Syrupus formetur!

Syrupus Diacodii differt, qui e capsularum Papaveris somniferi non maturarum decocto cum Saccharo paratur: Διὰ Κωδειῶν, capite nempe Papaveris. Opio contento, hincque vi variare debet. Demulcentem magis, quam narcoticum in Helvetia esse observat

Tissot, quod jam olim in Anglia monuit Sydenham.

IV. Complementum sistant Formulae remediorum opiatorum externorum.

a. *Emplastris* suis Baté, Pharmacopoeus felix et elegans olim saepe admiscuit Opium, atque Caryophyllos (Emplastro suo camphorato et podagrico), quam methodum imitatus est Freind saepeque miram comperuit efficaciam (Emmen. p. 124).

Emplastrum Opii Pharm. lond. p. 140.

R. Opii duri contriti unciam dimidiam,
Abietis Resinae contritae uncias tres,
Emplastri Plumbi libram (cum Lythargyro parati).
Emplastro liquefacto Abietis resinam et Opium adjice, et misce.

Emplastrum opiatum Pharm. boruss. p. 104. s. Emplastrum cephalicum.

R. Elemi,

Mastiches,
Olibani, singulorum uncias quatuor,
Benzoës uncias duas,
Terebinthinae uncias sex.
In balneo aquae ad massam homogeneam redactis immisce
Opii pulverati unciam unam.
Serva. — Ed. 2-da p. 97 cum Opio addit
Balsami indici nigri unciam dimidiam.
Usus Emplastri opiati est in spasmis localibus, licet inunctiones et fomenta idem bene suppleant. Idem succedaneum justum esse Emplastri antiodontalgici, anodynum, cutimque stimulans asserit Jahn, proficuum in spasmis abdominalibus, doloribusque tum arthriticis, tum glandularum; addit Swediaur (Phar. univ. III. 620) in multum irritabilibus, Tenesmo atque Orchiocele.

Emplastrum peruvianum Augustin Pharm. extemp. p. 217.

R. Balsami peruviani drachmas duas,
Opii puri scrupulum unum,
Emplastri diachyli cum gummi q. s.
M. f. Emplastrum. — Telae sericeae illitum atque adplicatum est efficax remedium in Rheumatismo chronico, atque Paralysi rheumatica, Camphora adjecta in Cardialgia.

Emplastrum opiatum cum Ammonio.

℞. Emplastri de Galbano crocati (Ammoniaci foetidi) unciam unam,
Petrolei drachmas duas,
Camphorae,
Ammonii carbonici pyrooleosi,
Opii puri ana drachmam dimidiam.

M. — Hufeland emplastrum commendat contra hepatis obstructionem et atoniam regioni hepatis imponendum (Kausch med. Erf. p. 436).

Emplastrum anodynum in Cancro Decheri apud Spielmann Pharm gen. p. 71.

R. Emplastri diapompholygos unciam unam,
Fuliginis splendentis scrupulos quatuor,
Opii pulverati drachmam unam,
Ammonii carbonici scrupulos duos.

Misce cum olei quantitate sufficiente in emplastrum. — (Laudat loco Emplastri Stolani incongrui Spielmann).

Emplastrum anodynum Wildegansii.

R. Emplastri saponati,

Cerae citrinae ana uncias quatuor,
colliquatis et semirefrigeratis addantur
Olei Tartari foetidi drachmae quinque,
Opii in pulverem redacti uncia dimidia,
Camphorae drachmae tres
solutae in
Olei seminis Hyoscyami drachmis quinque.

Misceantur probe. — Olim multi usus fuit in morbis articulorum.

b. *Ungventa opiata* facile parari possunt, si Ungvento alio pingvi tinctura Opii crocata, ope gummi aut Olei pauci praevie subacta adjiciatur, quod copiose atque sine subsequa disjunctione succedere observavit Rauch (in d. Aufsz. aus dem Briefwechselkorresp. Pharmaceuten Jahrgang 1808).

Ungventum anodynum Vogler Pharm. sel. p. 200.

R. Sevi cervini unciam semis,
Butyri recentis drachmas tres,
Amyli contriti drachmam unam,
Opii crudi scrupulum dimidium.

Leni calore liquata misce. — Contra dolorem Haemorrhoidum majorem ano imponendum.

vel:

R. Butyri recentis drachmas septem,
Amyli drachmam unam,
Opii puri grana decem.

Misce. — Utrumque Ungventum anodynum Vogler opponere solet Haemorrhoidibus coecis, praecipue externis, Tenesmo, Dysenteria praesentibus.

Ungventum opiatum Niemann: Add. ad Heberden Coment. Lipsiae 1805. p. 432.

R. Opii subtiliter pulverati drachmas duas,
Fellis vitulini uncias duas.

Digere per biduum calore leni (30=35 R); dein adde

Axungiae porcinae uncias duas,
Olei de Cedro guttas quinque.

Octava ungventi pars est omni vesperi, vel saepius inungenda, dum usus Opii internus abesse debet.

Ungventum ophthalmicum (s. Hydrargyri oxydati rubri) Augustin Ph. extemp. p. 274.

R. Hydrargyri oxydati rubri grana quatuor,
Extracti Opii,

Zincici albi ana grana decem,
Axungiae porcinae recentis drachmas duas.

Misce exacte in ungventum, quod maculis Corneae inunctum egregium praestare solet effectum.

c. *Linimentum, Balsamum, Oleum.*

Linimentum saponato - opiatum Pharm. gall. p. 347.

R. Tincturae Opii alcoolicae unciam unam vel 32.
Saponis amygdalini unciam semis 16.
Olei Amygdalarum dulcium aut Olivarum uncias duas 64, aut quantum libuerit.

Soluto ope tincturae Sapone, terendo commisceatur accurate Oleum, ut fiat Linimentum, in quo, pro re nata, varia esse potest ad tincturam ratio. — Usus est in doloribus, spasmisque: Myodynia, Arthrodynia rheumatica, Ischuria spastica.

Balsamum anodynum Pharmacopoeae Bateanae ab Edinburgensibus correctum. Spielmann Ph. gen. p. 25.

R. Opii unciam unam,

Saponis albi hispanici uncias quinque,
Spiritus Vini rectificati uncias viginti quatuor.

Comminuta digerantur per triduum; in liquore filtrato dein dissolvantur

Camphorae unciae duae,
Olei stillatitii Rorismarini uncia semis.

Linimentum anodynum s. tinctura Saponis et Opii Pharm. edinb. p. 57.

R. Opii unciam unam,
Saponis rasi uncias quatuor,
Camphorae uncias duas,
Olei volatilis Rorismarini off. unciam dimidiam,
Alcoholis libras duas.

Digere Opium et Saponem in Alcohole per triduum, dein liquori colato adde Camphoram et Oleum et diligenter agita.

Balsamum anodynum Baté, diu in arcanis habitum. Augusin Pharm. extemp. p. 203.

R. Opii drachmam unam,
Saponis medici unciam unam,
Spiritus Vini rectificati q. s. ad solutionem per digestionem; dein adde
Camphorae drachmam dimidiam,
Olei Rorismarini drachmam unam.

In Arthritide et Rheumatismo commendari narrat Spielmann. Opium tamen cum stimulantibus Oleis aethereis potius ex tempore praescribere suadet Augustin.

Linimentum antispasticum Segniz IV. 18.

R. Olei recentis Lini uncias duas,
Camphorae drachmam unam,
Laudani liquidi Sydenhami drachmas duas.

M. D. S. Drachmae aliquot aliquoties illiniantur, atque plaga tegatur panno.

Usus est in Infarctu inflammatorio intestinorum, Diarrhoea, Dysenteria, Stranguria, Cardialgia, Colica. — Observat idem auctor, valere etiam Linimentum volatile opiatum nec aliis Oleis additis (Hyoscyami, aut empyreumaticis) vim anodynam Opii augeri.

Linimentum opiatum Lind.

R. Tincturae Opii simplicis,
Linimenti saponacei (e Spir. Rorismarini Sapone et Camphora) ana.

Linimenti hujus embrocationibus Febres intermittentes saepe sanavit Lind.

Oleum

Oleum anodynum Vogler Pharm. select. p. 131.

℞. Laudani liquidi Sydenhami scrupulos quatuor,
Olei Olivarum albi optimi scrupulos viginti.

M. D. ad vitrum. — Ante usum agitatum panno instillatum externe adplicatum remedium est citum tutumque in Dysenteria, Stranguria, Cardialgia, Colica, Ictero, Lumbagine, aliisque doloribus spasticis, arthriticis, rheumaticis.

d. *Fomentum.*

Fomentum saturninum cum Opio Vogel.

R. Aquae destillatae comm. uncias decem,
Extracti Opii grana decem,
Aceti saturnini drachmam dimidiam,
Spiritus camphorati guttas viginti.

In Hernia incarcerata laudat Bened. Chr. Vogel (Sammlg schwier. Fälle. I. 1805) penes usum internum antiphlogisticorum, cum tinctura Opii et Aethere sulphurico.

Cataplasma cephalicum Vogler Pharm. select. p. 25.

R. Salis ammoniaci contusi drachmam unam,
Opii crudi pulverati grana decem,
Crustae panis secalini contusae vel Furfuris secalini uncias quatuor.

Misce cum Aceto. Linteo tenuissimo involutum adhibe capiti abraso, in Cephalalgia arthritica, rheumatica. — In ulceribus aut tumoribus valde dolentibus laudat Swediaur (Pharm. univ. III. 606).

Cataplasma cum Opio Augustin p. 205.

R. Farinae seminis Lini uncias quatuor, coque cum
Aquae fontanae q. s. ad. consistentiam cataplasmatis;
cui adde
Opii drachmam dimidiam.

Commendat Augustin pro doloribus sopiendis.

e. Opiatum antiodontalgicum Handel (in Hufelandii Journ. X. a. p. 196).

R. Olei Hyoscyami drachmam unam,

Opii drachmam dimidiam,
Extracti Belladonnae,
Camphorae ana grana sex,
Olei Cayeput,
Tincturae Cantharidum ana guttas octo.
Redigantur in formam Opiati, cujus pars in cavum dentis intrudatur.

Opiatum antiodontalgicum Augustin. Ph. extemp. p. 257.

R. Pulveris Mastiches,
Sandaraccae ana drachmas duas,
Sangvinis Draconis grana decem,
Opii grana duo,
Olei Anthos guttas octo,
Spiritus Cochleariae q. s. pro conficiendo emplastro, cujus pars magnitudine pisi gingivis dolentibus imponatur.

R. Opii,
Camphorae, ana grana duo,
Olei Caryophylli aromatici,
Essentiae Piperis jamaicensis ana granum unum.
Misce; fiant pilulae N. 4, denti carioso intrudendae. Idem p. 257.

R. Tincturae Pimpinelle,

Spiritus sulphurico-aetherei ana drachmas duas,
Tincturae aromaticae drachmam unam,
Olei Caryophyllorum grana duodecim.
Gossypio denti cavo immittatur. Idem p. 257.

f. *Balneum*, *Lotio.*

Balneum ad methodum Stütz diro in Tetano traumatico locum habet.

Lotio sedativa Swediaur Ph. univ. III. 581.

R. Extracti Opii drachmas duas — quatuor,
Aquae fervidae libram unam.
Misce. — *Usus* ad ulcera cutis rebellia super linteo carpto.

g. *Collyrium.*

Collyrium opiatum cum Zinco Schmidtmüller.

R. Zinci sulphurici grana quatuor,
Tincturae thebaicae scrupulum unum,
Aquae comm. destillatae uncias duas et dimidiam.
Misce. Detur usui.

Collyrium Hydrargyri corrosivi s. Aqua ophthalmica Conradi.

R. Aquae Rosarum uncias sex,
Hydrargyri muriatici (corrosivi) granum unum,
Tincturae Opii crocatae drachmam dimidiam.

Usus fiat guttae unius ad duas bis vel ter oculo instillandae. Laudat auctor in Ophthalmiis chronicis catarrhalibus et scrophulosis, in secundaria post Variolas oborta, et ea neonatorum. Beer usum Aquae hujus confirmat, ad sequentem formulam:

R. Aquae Rosarum uncias quatuor,
Hydrargyrici muriatici granum unum,
Tincturae Opii crocatae scrupulos duos.
Misce (vide Loder's Journal II, c. Jena. 1799).

In majore Conjunctivae insensilitate et atonia laudat Augustin (Ph. ext. p. 209) fortiorem solutionem sequentem:

R. Aquae Florum Chamomillae unciam, unam,
Seminum Cydoniorum grana viginti;
fiat mucilago, cui adde
Tincturae Opii crocatae guttas decem,

Hydrargyrici muriatici (corros.) granum unum.

Misce.

Collyrium plumbatum cum Opio Boerhaave.

R. Plumbi acetici grana tria,
Opii puri grana quatuor,
Seminum Cydoniorum grana sex;
Fiat cum Aquae Rosarum quantitate sufficiente Emulsio unciarum duarum trium. Usus sit in Ophthalmia acuta, post hypersthenіam sedatam, ad guttam unam, ductoribus Boerhaave et Heuermann.

Collyrium plumbatum Conradi.

R. Aquae saturni Goulardi,
Rosarum ana uncias duas,
Opii grana octo.
Solve. — Conradi (in Arnemann's Magazin f. WAK. I. a. p. 56) laudat in spastica palpebrarum constrictione linteorum ope oculis tepide inponendum.

Collyrium plumbatum Schneider.

R. Seminis Cydoniorum grana sex,

Plumbi acetici grana tria,
Aquae Rosarum,
Foeniculi, ana uncias duas;
Mixtis adde
Tincturae Opii crocatae drachmam unam
et dimidiam.

In Ophthalmia humida cum Hypopio egregie laudat Schneider (chirurg. Geschichte II. p. 37); in Hypopio bonum effectum vidit Augustin Ph. ext. p. 211.

Collyrium opiatum s. anodynum
Pharm. gall. p. 345.

R. Aquae Rosarum stillatitiae uncias duas
vel 6,400,
Gummi arabici drachmam semis 200,
Vini opiati fermentatione parati
guttas sex } vel 0,35.
circiter grana septem }
quae tenebunt Extracti Opii fere
granum unum.
Misce.

Collyrium opiatum Jahn.

R. Infusi radicis Altheae tenuis uncias tres,
(e radicis drachmis duabus cum Aquae unciis tribus),
Opii puri grana duo.
Misce exactissime terendo.

D. S. adplicetur tepide oculo a causa externa inflammato.

h. Gargarisma sedativum Swediaur Ph. univ. III. p. 577.

R. Extracti Opii drachmam unam — duas,
Aquae fervidae libram unam,
Misce terendo, dein adde
Alcoholis unciam unam.
Usus fiat ad ulcera lingvae et faucium irritabilia, rebellia; in Odontalgia, Otalgia rheumatica, Cephalalgia.

i. *Injectio.*

Injectio sedativa composita Hamilton (Swediaur Ph. univ. III. 588).

R. Extracti Opii drachmam unam — tres,
Aquae fervidae libram unam;
terendo misce, dein adde
Acetatis Plumbi liquidi drachmam unam — tres.
Usus est ad Blennorrhoeas.

Injectio Myrrhae saturnina Kortum (Beytraege zur pr. AK. p. 311).

R. Plumbi acetici drachmam unam,

solve in

Aquae comm. dest. unciis sex;

adde

Liquaminis Myrrhae uncias duas,

Tincturae Opii simplicis unciam unam.

Injectio fiat quater vel pluries per diem in Gonorrhoea chronica.

Injectio Opii saturnina Girtanner.

R. Opii puri grana duodecim — viginti quatuor,

Aquae comm. destillatae uncias novem,

Aceti saturnini guttas novem — octodecim.

Misce.

Frank tamen (Epitome V.) injectiones in Blennorrhoeae stadio primo omnes rejicit, merito, cum lenissimae quaeque mechanice irritent.

k. *Clysma.*

Clysmata opiata egregii saepe sunt usus in Spasmis, Convulsionibus, Trismo (Swediaur III. 591); in Asthmate convulsivo; laudat ea in uteri haemorrhagia, spasmis, mensibus nimiis dolorificis, in Hyperemesi, in Diarrhoea colliquativa Rob. Whytt, in Tenesmo et Dysenteria cum Aqua et mucila-

gine Clarck; in Dysenteria Vogler optimum vidit effectum Clysteris amylacei cum Laudani liquidi Sydenhami guttis duodecim, penes usum emollientium (Ph. sel. p. 29). Valent in Ischuria, Ischiade. Swediaur tandem (l. c.) in ulceribus intestini recti rebellibus commendat. Abesse debent intestinis sensilissimis, atque Diarrhoeis nimiis.

Dosis Opii Clysmati addenda eadem est pluribus, quae per os ingeritur (Erl. östr. Ph. I. 357); alii, cum intestinum rectum minus sensile sit, copiam majorem suadent: Cullen guttas Laudani liquidi Sydenhami 30 ad 50 cum Gummi arabici drachmis tribus atque Aquae unciis tribus; sunt tandem, qui ano ingestum Opium actuosissimum credant. Opiatum Clysma dandum est post Clysma evacuans; quantitate parca, ad summum unciarum quatuor; ne copia stimulet, atque evacuetur, effectu frustrato.

Clyster anodynus Vogler Pharm. sel. p. 30. et von der Gelbsucht p. 62.

R. Florum Verbasci drachmas tres,
Aquae fontanae q. s.
Fiat decoctum, tum Colaturae unciarum undecim addantur

Laudani liquidi Sydenhami guttae 13
=15,
Butyri recentis non saliti, vel Olei
Lini vel Olivarum rec. uncia una.
Detur Clyster de die bis terve ad versus Icterum, Ileum, Cardialgiam, Colicam, Ischiadem, Haemorrhagiam uteri, dolores ante et post partum, Hernias incarceratas, atque alvi obstructiones.

Clyster antidysentericus Vogler Pharm. sel. p. 52, et von der Ruhr I. cap. 8. 9.

R. Amyli drachmam sesquialteram,
Opii puri granum unum.
Misce, fiat Pulvis.
R. Amyli scrupulos quatuor,
Catechu scrupulum unum,
Opii puri granum unum.
Misce, fiat Pulvis.
Pulvis singulus pro usu Aqua frigida perfundatur, dein in Aquam fervidam injectus ebulliat agitatus; solutioni unciarum sex=octo adde Butyri non saliti drachmas quatuor — sex.
Clyster primus terve quaterve adhibendus, alter vero morbo protractiore bis terve. Sub usu Clysteris opiati aegrotantes jaceant quie-

ti, capite demisso, coxisque elatis, ne Clyster evacuetur. Multi Opium melius perferunt ano, quam ore. Swediaur hunc Clysterem laudat contra Tenesmum, Dysenteriam, Haemorrhoides dolentes, doloresque colli vesicae (Pharm. univ. III. 592).